





1792

1692, 28

L. F. F. L. S.  
DE

# DECANIS

18

Von  
*Dechanten/*  
EXERCITATIO IVRIDICA  
QUAM  
IN ALMA SALANA  
PRAESIDE

RECTORE MAGNIFICO DESIGNATO,  
VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, & EXCELLENTISSIMO,  
DN. CHRISTIANO WILDVOGEL  
JCTO FAMIGERATISSIMO, SERENISSIMORUM DUCUM SA-  
XO-VINARIENSIIUM CONSILIARIO AULICO, ANTECESSORE IN  
HAC ACADEMIA CELEBERRIMO CURIAE PROVINCIA  
FACULTATIS JURIDICAE ET SCABINATUS ADSES-  
SORE GRAVISSIMO  
DNO. PATRONO, HOSPITE, & PRAECEPTO-

RE SUO MAXIME COLENDO,  
publico eruditorum examini  
in Auditorio Ictorum majori  
proponit

Mense Januar. An. MDCCXCII.  
AUCT. & RESP.

IOANNES ERNESTUS von der *Sage/*  
VINAR.

JENAE, NUNC RECUSA, 1719.

(8

2000  
D  
DECAMIS  
EXTRACTO HARRICA  
IN ALMA  
FRANCIA  
D. G. H. L. N. O. V. I. S.  
D. I. T. R. O. S. A. S. T. A. S.  
IN ADORATIONE  
D. I. T. R. O. S. A. S. T. A. S.  
D. I. T. R. O. S. A. S. T. A. S.



## PROOEMIUM.



Ostea, quam mihi propositum  
erat, jussu & consilio eorum,  
quos pie venerari decet, ostende-  
re, quibus hucusque exercitatio-  
nibus me dederim, nihil magis  
conueniens mihi videbatur eo-  
rum expectationi, quam rei cuiusdam preclara  
examen atque interpretatio. Cum vero in magna  
rerum inlustrium abundantia nihil pene occur-  
reret, quod non aliorum ante me industria satis  
expoluerit, eam tandem seligere materiam vo-  
lui, ad cuius tractationem & satis otii & animi  
futurum esse intelligebam Cogitanti namque mi-  
hi, & dubiis hinc inde sententiis omnino fluctu-  
anti, quale demum argumentum, ne plane rerum  
inopia excusatus abirem, mihi proponerem, in-  
cidit in manus ille titulus, qui in Codice Iustinia-  
neo de DECANIS inscribitur. Et quoniam  
hoc ipsum thema a nullo, quod sciebam, tractatum  
adhuc fuerat, non inepte facturum me putabam,  
si illud

si illud pro viribus elaborarem, & tanquam specimen ederem vitæ academicæ hucusque a me gesta: præsertim cum non ad civile solum, sed ad universi juris partes ejus pertineret tractatio. Facta igitur prævia consultatione, & adprobato a superioribus proposito meo, non cessavi amplius vires meas experiri, sed statim eo dirigere manus cæpi, quo desiderio tum aliorum, tum etiam meo satisfieri posse quodam modo existimabam. Non autem opus erit hujus materia commendationi diu immorari, cum, quid efficere possit ejus cognitio, norint ii, quibus legum & juris nostri satis perspecta & cognita ratio est. Ceterum per devios anfractus me non errasse, sed regia via cuncta, quæ huc pertinebant, persecutum esse puto. Si quid vero minus adcurate scriptum inveneris, benevole lector, æquitas tua feret, ut tenui meo iudicio ignoscas; nam facile supplebit humanitas tua, quod hic abesse jubet ingenium imbecille meum.

CAP.

CAP. I.  
DE  
ORIGINE ET VARIIS GENERI-  
BUS DECANORUM VETERUM.

Aph. I.

**D**E DECANIS dum inscribimus hanc nostram dis-  
sertationem; necessarium omnino erit, ut initio  
statim varia eorum genera variasque res, quibus  
hoc nomen impositum, huc adducamus. Nec enim  
perfonis tantum, sed & rebus quibusdam inanimatis  
tributum fuisse hunc titulum, ex antiquis litterarum,  
monumentis discimus. Inprimis notum est, quod olim  
Græci pariter ac Chaldæi magna quadam veneratione,  
astra, & eorum inclinationes observarint, atque ex il-  
lorum motu futura ritu sane superstizioso sibi fuerint  
vaticinati. Sicuti autem hæc prædictio certo peragi  
debebat modo: ita, ut major his dictis fides haberetur, v-  
niuscujusque signi cœlestis partes tricenae in tres Decu-  
rias ac tres DECANOS distribuere hujus artis peritis vi-  
sum fuit, ita ut prioribus decem partibus unus Decanus  
præset, qui primi Decani nomen consequebatur, de-  
cem sequentibus alter, qui secundus, & decem posteri-  
oribus, qui tertius appellabatur, essent præpositi. At-  
que ex tali Planetæ in hoc vel illo Zodiaci cœlestis signo,  
Decanatum obtinere dicebatur, & juxta eundem,  
de utraque nati fortuna judicium ferebatur. Vid.  
David Origamis *Ephemerid. Part. III. cap. 4. pag.*  
*423.* Henricus Ranzovius *Tr. d. genet. blic. themat. judic.*  
*part. II. cap. 2.* ubi ex Gaurico Planetarum dignitates, &

inde collecta fortitudinis testimonia aut numerus hisce  
describit versibus:

*Quinque suis domibus claros sortitur honores:*

*Quatuor in solio quisque Planeta suo:*

*Finibus inque suis binos sibi jure triumphos:*

*Tres autem in propria triplicitate capit:*

*Vnam duntaxat fuerit si forte DECANUS*

*Quisque suo, vates quod docuere boni.*

Aph. II. Deinde singulis Decanis terna etiam  
numina attribuere, eaque *λεταργος*, i. e. munifices ap-  
pellare fuerunt soliti.

Aph. III. Neque vero hoc satis fuit, sed novem  
hos munifices seu Liturgos Deos, quos in singulis signis  
constituebant, rursus per infinitas alias numinum pote-  
states dividebant. Quo facto in quavis signi parte Deus  
aliquis sive DECANUS (nam Decani ipsi Dii diceban-  
tur & Numina Decanorum, uti videmus eos passim apud  
Firmicum nominatos) in illo puncto collocatus tempo-  
ris nascentium curam habere & vitam fortunasque con-  
stituere credebatur. Deus igitur, hoc est, Decanus ad-  
pellatus est *ώρόσκοπος*, quod nativitatis tempus inspi-  
ceret, sicut homo dicitur *ώρόσκοπος*, qui horas in-  
spicit.

Aph. IV. Hinc igitur putantur Decani nomen  
suum accepisse, quod quisque decem partibus signorum  
coelestium præesser: Nam sicuti vetustissima hæc Deca-  
norum est observatio, & cum ipsis *γενεθλιαλογικης* incu-  
nabulis apud Græcos & Chaldæos, quorum erga astra  
religio fuit pene incredibilis, uti diximus, enata: ita  
non dubitamus, quin iidem Græci & Chaldæi a nume-  
ro denario hoc nomen derivantes, iis illud postea per-  
sonis,



sonis, quos signis ipsi præfecerant, adiudicarint. Quamvis enim non una omnium hac in parte sit opinio, & quidam, inter quos primarius videtur esse Scaliger, latinam huius vocabulo tribuant originem, & à militia Romana sumtum esse contendunt; nihil tamen obstare, videtur ceteris, quo minis hanc vocem ab astris ad castra descendisse credant: Ita ut Decanus sit, *qui potestatem suam militarem in dena exercet capita*, uti liquet ex Vegetio l. 2. de Re milit. c. 8. ubi dicit: *Erant Decani decem militibus præpositi, qui nunc caput, contubernii vocantur*, & Vincent. Beluacens. l. 30. cap. 73. Isidor. l. 3. Orig. c. 3. ThvrocZ. in Chron. Hungar. P. II. c. 2. Hinc manipulus ille decem militum vocabatur *Decania* græce *δεναξία* Leoni in *Tacticis*, c. 4. §. 36. *Gloss. Lat. Gr. in verbo Decuria denavtia.*

Aph. V. Sicuti autem Romanorum militia alia fuit togata, alia sagata: sic etiam diversis officiis diversi adiungebantur Decani, ita ut alius fuerit Decanus, qui in bello militibus præerat: alius qui in sacro militabat Palatio. Nam quod inter Palatinos relati fuerint hi, quos proxime jam nominavimus, Decani, extra dubium omnino positum est: Hic quippe titulus Codicis, quem nostræ dissertationis fundamentum & occasionem esse diximus, & de *Decanis* inscribitur, in censu Palatinorum, & inter titulum de Castrensiis & Mensforibus medio collocatus est loco. Idque clarius patet *xl. 2. C. d. t. de Dec.* ubi Imperator eos vocat: *Nostræ pietatis famulationibus adherentes Decanos*, & paulo post *Imperatoria mansuetudinis obsequia* eisdem tribuit: ut taceam, quod *l. ult. C. de diversis officiis* cum invitatoribus, admissionalibus, memorialibus, pædagogis, cellariis, mensfori-

foribus, lampadariis, & cursoribus nominentur quoque Decani, & partis Augusti esse dicantur, quod idem, ac si Augusto s. Principi ministrantes vocarentur, esse putat Iac. Gothofredus *ad l. 1. C. Th. de Decan.* Ex quibus adparet, eos ministerianis & cum his Palatinis adnumeratosolim fuisse.

Aph. VI. Vnde vero hi Decani nomen suum acceperint, non satis constat. Quod enim a denario numero, ut ceteri, qui decaniis suis præfecti erant, ita appellari fuerint, non videtur verisimile; quoniam eorum tum functio, tum magna turba aliud nobis persuadent. Illud quippe, quo fungebantur, officium simile erat eorum, quos *παθδραχες*, *lectores* appellabant, Cedrenus *p. 170.* Ita corripendis reis, velis item, seu cortinis regius in locis fisco vindicatis, suspendendis operam navasse, docet Gothofred. *ad dict. loc. C. Th.* id quod clarissime demonstrat Ambros. *l. 5. Ep. 33.* dum scribit: *Nunciatum est mihi comperto, quod ad Portianam Basilicam de Palatio Decanos misissent, ut vela suspenderent.* it. Bas. ius Diaconus in libello ad Theodosium & Valentinianum: *Παραχρημα ἐκέλευσε συλληθθῆναι ἡμᾶς παρὰ τῶ ὄχλῳ δεκανίων, i. e. illico iussit eos corripere a turba Decanorum.* Quod credere nos haud permittit, nomen eorum a decem ministerianis, quos sub potestate sua continuisse, docet Brunnem. *ad dict. tit. C. de Decan.* originem traxisse. Incertum quippe adhuc est, quod asserit hic Brunnem. Nam si eo dicerentur Decani, quod decem ministerianis præfuerint, ingentem necesse est fuisse ministerianorum multitudinem, qui sub Decanis militaverint. Ipsi enim Decani quantum constituerint turbam, patet ex prædictis, iam vero non adparet, qui fuerint illi ministe-

nisteriani, qui Decanos superiores suos agnoverint. Nam qui illis in *lege ult. C. de divers. offic.* junguntur, pares conditione us habiti fuerunt. Fingamus autem fuisse tot ministerianos, qui a Decanis rei debuissent, quid quæso opus fuisset, ut ipsi Decani reos corripent, cum ministerianis suis id committere potuissent? Quare vix locum obtinebit derivatio Brunnemanni, nisi dicere voluerimus, Decanos Primiceriatu officium gerentibus subiectos fuisse illos ministerianos, a quorum numero Decanorum nomen ortum sit. Sed quis quæso hanc derivationem admiserit? Licet enim quatuor Primicerii, qui biennii spatio hoc officio fungebantur, facilius inde potuerint Decani appellari, eo, quod ceteris Decanis fuerint præpositi: non tamen elucet, quo pacto reliqui, qui Primicerii non erant, hoc nomen fuerint sortiti.

Aph. VII. Sunt, qui alio modo vocabuli hujus originem indagare conantur, inter quos est Gothofredus *ad c. l. c. Tb.* illud descendisse putans à græco vocabulo *δυνασάριος* pro *ἀρχιστάριος* usurpato ab Hesychio, quod idem est ac *excipere*, *adprehendere*. Sed inter se ipsi non conveniunt. Propius accedere videtur Carol. du Fresne *in Glossar. ad scriptor. med. & infim. lat. b. v.* qui de Decanis differens: *Ita*, scribit, *porro dicti videntur, quod ex Decanis militaris custodiæ ad id muneris proveherentur.* Quoniam vero nec ipse satis certus est, neque mens hic Romanorum neque ratio appellandi satis adprehendi potest, aliorum decisioni hanc quæstionem merito relinquimus.

Aph. IIX. Sequitur nunc aliud genus Decanorum veterum, quorum inprimis mentio fit *in Nov. XLIII.*

B

CLIX

¶ LIX. Postquam enim decretum nobis est, cunctos, quos ab antiquitate tuto possumus accipere, Decanos ob oculos nobis ponere; necessarium esse duximus nec hos præterire, quibus olim cura humanorum corporum erat demandata. Ex quo namque tempore superstitioni ethnicorum mores ab Imperatoribus in oriente abrogati, & christiana undique religio esset exulta; horrida cadaverum cremandorum consuetudo christianis interdicta; & in ejus locum honesta humanorum corporum sepultura fuit introducta. Quoniam vero Reip. intererat, certos constitui viros, qui defunctorum exsequias ordinarent, pienssimus statim urbis amplissimæ Constantinopolitanæ conditor Constantinus & post eum Anastasius, certum genus hominum, quos *lecticarius* s. *Decanos* vocitabant, eo, quod in decades essent divisi, elegerunt, eosque curatores esse cadaverum sepeliendorum jusserunt. Sicuti autem cuncta juste ac religiose peragi, & neminem funerum sumptibus prægravari voluerunt: ita factum est, ut sumptibus ecclesiæ defunctorum exsequiæ perficerentur. Quem in finem prædicti hi Imperatores centum & mille ergasteria, seu officinas ab omni vectigali liberas & quidem Constantinus DCCCCL. Anastasius vero CL. in loco urbis commodissimo concesserunt Ecclesiæ Sapientiæ, ut ex earum redditibus stipendia caperent Decani funerum elatorum. Vid. *l. Nov. XLIII. ¶ LIX. princ. it. Pancirol. de Not. dignit. utr. Imp. C. XXIX.* Et quoniam ita ad Ecclesiam devolvebatur exsequiarum cura, collegio etiam clericorum adnumerabantur Decani seu lecticarii. *l. 1. C. Th. de lustrat. Collat.* Vid. tamen Gothofr. *ad b. l.* ubi dubiis sententiis de clericatu eorum disputat. Interim Gebhard. *de Jurisd. Eccles. s. 22.* clericis eosdem adiectos fuisse attestatur.

statur. Postquam enim Constantinopoli templum,  
 quod plucritudine ac venustate omnium oculos in-  
 semet convertebat, in honorem Christi exstruxerunt  
 pii Imperatores, quod, ut Gregorius ait, *μνηστὴρ τῆς  
 νεῶς τῆς σοφίας* appellabatur, Cathedram in eo docen-  
 di, quem *θεῶνον πατριαρχικόν* quidam e Scriptoribus vo-  
 carunt, opere præclaro posuerunt, cui Patriarcha cer-  
 to Clericorum numero, qui liturgiam exercebant, sti-  
 patus summo splendore insidebat. Cætus autem ille Cle-  
 ricorum constabat ex sexaginta Presbyteris, centum Di-  
 aconis, quadraginta Diaconissis, nonaginta Subdiaconis,  
 centum & decem Lectoribus & viginti quinque Cantori-  
 bus, in univèrsum constituentes numerum CCCCXXV.  
 corporum, quibus porro centum Ostiarii jungebantur.  
 Et hi sunt quibus cum Parabolanis Decanos adiectos fuis-  
 se putat Gebhard. *c.l.* quorum illi ab Episcopo ordinaban-  
 tur, ut sicuti Decani demortuorum, ita hi curam agro-  
 tantium haberent *l. 18. C. de Episc. & Cleric.* Licet ve-  
 ro horum Decanorum numerus initio haud definitus, sed  
 magna eorum esset multitudo, postea tamen ad certam  
 mensuram fuit reductus: nec enim plusquam mille & cen-  
 tum admitti, nec plures definiri officinas, voluit Impe-  
 rator *Nov. cit. XLIII. pr.*

Aph. IX. Quoniam autem funerum elationes  
 non defunctorum, sed, uti jam memoravimus, ecclesiæ  
 sumtibus fieri solebant, & vero ritus negligi nõ debebant  
 illis adhibendi, adiuncti fuere Decanis prædictis mona-  
 chæ quædam seu sanctimonialia, quas *Ascetrias & Cano-  
 nicis* appellabant, quæ in funerum exequiis suas quoque  
 exercebant functiones psallendo & cantando, ad modum  
 Præficarum, prout annotat Gothofred. *ad cap. II. Nov.  
 LIX. n. 15.* Ut vero eo melius constet, quid hac in parte  
 decuerit Decanos, non abs re erit, modum, quo exse-

quia defunctorum tunc temporis fuerunt peractæ, bre-  
vibus hic subiicere.

Aph. X. Sciamus igitur sepulturas demortuorum  
in urbe Constantinopolitana magnificas & mediocres  
potuisse institui. Mediocres qui fieri volebant, sumti-  
bus ecclesiæ cuncta perficiebant, Asceteriis & Canonicis  
gratis ante lectum præcedentibus. Qui vero ad munifi-  
centiam respiciebant & lectum ex duobus majoribus, Stu-  
dii & Stephani, in venerabili vasorum custodiaro posi-  
tis, aut deauratum in sanctissima majori ecclesiâ consti-  
tutum poscebant, pro labore Decanis, aut reverendis-  
simis Asceteriis vel Canonicis & Acolythis certam dare  
pecuniæ summam debebant, ut clarius apparet *ex Nov.*  
*LIX. c. 6.* Cum ergo efferrentur, Ascetriæ psallere sole-  
bant quasi Præficæ olim: Acolythis vero, qui & assediæ  
dicti, prælacentes funalia deferebant, Decanis feretrum  
sive lectum, quod Germanis hodie sine *Todtenbaare*  
audit, cui impositum erat cadaver, ordine portantibus.  
Vid. D. Joh. Andr. Quenstedt. *d. Sepultur. veter. cap. IV.*

Aph. XI. Ex hoc igitur evenit, ut hi Decani *lecti-*  
*carii* & *vespillones* dicti fuerint, notante ex Cuiacii *lib. de*  
*divers. tempor. c. 3.* Gothofr. ad hanc *Nov. LIX.* Vocaban-  
tur etiam *Collegiati*. uti videre licet in *l. unic. C. de. collegi-*  
*atis & Chartoprat.* quoniam ex variis collegiis consti-  
ti unum in civitate corpus conficiebant. Carol. du Fresne  
in *Glossar. c. l. it. Copiata*, dicti ex sententia Pancirol. *c. l.*  
*ἐπιὸ τῆς λέξεως, καὶ νομιᾶς δει:* ut nihil aliud sint, quam *ope-*  
*ratores seu laboratores.* Et hæc derivatio confirmari  
videtur per *Nov. LIX. c. 2.* ubi juxta vulgatam Haloandri  
versionem expresse Decani seu Copiatæ dicuntur labo-  
rantes, his verbis: *ut tamen non minus sint Decani seu*  
*laboratores.* Alii, qui rem acu tangere videntur, hanc *Co-*  
*piatarum denominationem malunt desumptâ esse ἀπὸ τῆς*  
*non sag*

*anotac seu wordes* quod significat quietem & quiescere.  
Inprimis vero hæc origo præ ceteris, utpote Christianæ formulæ vicinior, eo, quod mortui quiescere dicantur, placet Goth. *ad c. l. i. C. Tb. de Lustral. Collatione.* Verum licet magni æstimemus viri hujus incomparabilis in iudicando vim ac solertiam: cum tamen neque in ejus verba juraverimus, nec aliis hac in parte nos ad sociari vitium sit, non facile adducimur, ut idem cum eo sentiamus. Nam licet mortui sæpe in Scripturis sacris quiescere dicantur: non tamen inde sequitur Copiatis hoc nomen a quiete tribui; Quin potius ad ipsorum munus & officium respiciendum esse ducimus, quod non in quiete aut otio, sed assiduo labore consistebat. Quis enim quæso hoc nomen eorum officio non iudicaret plane inconueniens? quippe, qui ab imperatore dicuntur laborantes *c. l.* nomen aliud & quidem tale, quod eorum laboribus e diametro, ut dicunt, opponitur, haud fortuitur. Quare prior sententia videtur magis apta & juri nostro consentanea. Ceterum ad horum Copiatarum seu Decanorum exemplar certis in locis hodiernum institutas novimus *Sodalitates Mortis*, quibus mortuos sepeliendi cura incumbit præcipua. vid. Baron. *Annal. Tom. III. ad Ann. Chr. CCCXXXVII.*

Aph. XII. Interim, probe notandum erit, hos Decanos non tantum officiis, sed etiam foro differre ab illis, quos Ministerianos Augusti supra nominavimus. Hi enim erant Palatini, & ad alia pertrahi iudicia prodesiderio pulsantium non debebant, sed magistri tantum officiorum examen observare eos oportebat. *l. 2. C. de Decan.* illi vero Clericorum forum sequentes Episcopi regerantur moderamine. Et licet eos Gothofr. *ad l. i. C. Tb. d. Dec.* inter corporatos urbis referre videatur, firmam tamen vel inde sententiam nostram puto, quod Clericorum

Privilegiis donati ab Imperatoribus, & a lustrali collatione immunes habiti fuerint *c. l. i. Tb. de Lust. Coll.* Ceterum quia ob antiquitatem rudera eorum vix penitus inspiciere potuimus maluimus his qui jam dicta sunt contenti esse, quam diutius scrutando in incerto circumvagare.

Aph. XIII. Erant præterea etiam quondam *Decani*, seu Minores Iudices, qui per Decanias jus dicebant, vir patet ex Strabone *lib. de Reb. Eccl. c. ult.* & Hincmar. *epist. 4.* apud Carol. du Fresne. *Glossar. lat. ling. verb. Decani.* nec non *Decani operis vel operariorum* in Monasteriis, operis sc. monasticis præfecti. Carol. du Fresne *d. l.* Sic & Procuratores villarum itidem *Decanos* dictos fuisse, idem memorat *cit. loc.* Sed sufficiant hæc de veterum Decanis dixisse; ordo nunc jubet, ut etiam ostendamus, quomodo ad nostra tempora hoc nomen, devolutum sit, & quibus hoc ævo muneribus præpositi sint Decani. Progredimur igitur ad.

## CAP. II.

DE

# DECANIS NOSTRI AEVI ET QUIDEM COLLEGIORUM.

Aph. I.



His nunc veterum Decanorum generibus, ad nostra quoque veniamus tempora. Translatum quippe hoc fuit vocabulum ex militia veterum sagata ad togatam, & ad Collegia virorum illustrium deductum, ita, ut juxta hodiernos mores illum designet, qui in aliquo Collegio primus est & præ ceteris honorabilior, *cap. VII. de concess. præbend. cap. XIII. de elect. ubi Gloss. & Pavorm.* quamvis a perfectione potius & præstantia denarii numeri Decani appellatio-



pellationem derivare malit August. Barbof. *Tr. de Canoniz. cap. VI. n. 1.* Inter collegia ista hinc inde in Romano Imperio collucentia eminet præ reliquis splendidissimum & maxime augustum Collegium Electorale, cuius propterea Decanus non immerito primas si bi partes vindicat. Quia autem huic Decanatus officio summa totius collegii dignitas tradita fuit, non alii certe hoc munus, quam primario tribui decuit Electori, qui est sedis Moguntiacæ Primas & Archi Episcopus.

Aph. II. Et quod hic ceteros omnes antecedar, extra dubium est. Postquam enim Pipinus & Carolus Franciæ Reges cum consensu Papæ Rom. Zachariæ urbem Moguntinam metropolin totius Germaniæ fecerunt, & illius Episcopum Archiepiscopali dignitate decorarunt Besold. *diff. de Monarch. Rom.* isque postea Papæ secundus habitus fuit, secundum Marian. Scotan. *l. 3. et. 6.* hodiernum illum cunctis imperii Principibus præferri, omnesque alios Principes Electores dignitate antequam videmus. Quod ipsum clarius demonstrat diploma Imperatoris Maximiliani I. *de Anno c. 1, CCCCXCIIX.* in quo expresse vocatur *der Oberste Chur, Fürst.*

Aph. III. Hinc quoque concessa illi fuit facultas negotia collegii expediendi, & dictus est totius collegii Electoralis *DECANUS*, uti videmus ex Epistola Principum Electorum ad Papam Benedictum XII. quem Freherus inferuit *Tom. I. Script. German. inter. Annal.* Henrici de Rebdorff, *p. 427.* in cuius principio Henricus Archi Episcopus Moguntinus se ipsum vocat Electorum Principum Decanum. Testantur præterea hac de re Onuphrius Panuinius *de comit. Imp. c. VII. p. 117. & 10.* al. Windeck, *de Elect. Imp. c. XXII. it. Bernhard, a Mallinckrot,*



ckrot, Decanus Monasteriensis, de Archi.-Cancellariis S.  
*Roman. Imp. c. IV. p. 197.* Vnde non convocatio tantum  
Electorum ad eum pertinet. Otho Fris. *l. 1. de gestis Frid.  
c. XVI.* & Gunther. *in Ligur. A. B. c. I. §. 19. & c. IV. §. 2.*  
sed & in electione Cæsaris ipsa primæ sunt ejusdem par-  
tes, cum comparentibus formam juramenti dare, *Aur.  
Bull. cap. II. pr.* & cöelectorum vota perquirere, *A. B. d.  
cap. IV. §. 3.* atque ipse demum ultimo votum suum pro-  
mere possit. Vid. Herman. ab Hermes *Fasc. Jur. publ.  
cap. XV. n. 4.* Iust. Sinolt. cogn. Schüz *colleg. public. de  
Stat. Rei Rom. Disp. II. tb. 10. lit. b.* Paurmeister. *de Jurisd.  
lib. II. c. 2. n. 45.* Limnæus *de Jur. Publ. lib. III. cap. 4. n. 3.*  
Forma quidem hujus convocationis certa ab initio nulla  
erat, sed Electoris arbitrio relinquebatur, ut constat aus-  
dem Ausschreiben zur Wahl eines Römischen Kaysers  
de anno 1291. ubi Gerhardus Archi-Episcopus Mogun-  
tinus inter alia hæc verba ad regem Bohemiæ Wences-  
laum adhibuit: Also wollen wir euch zur Wahl ei-  
nes künfftigen Römischen Kaysers den Tag nach  
dem Feste der H. Aposteln Philippi und Jacobi zum  
ersten/ andern und drittenmahl zu Franckfurth / wie  
denn solches unserm Churfürstlichen und als eines Erz-  
Canglars Amte gebühret / mit diesem unsern Schreis-  
ben ernennet und erkläret haben. Postea tamen alia  
constitutio facta, & ob rationem, quam vid. apud Pe-  
trum Ostermannum *in Epit. Aur. Bul. Method. & Exeges.  
cap. XIX.* & Arumæum *ad A. B. disc. VI. n. 22.* a Carolo  
IV. Imperat. *in A. B. c. XIX.* certum præscriptum fuit  
litterarum exemplar, quibus Electores evocari debeant:  
iisque Moguntinum usum fuisse præter alia probat tenor  
citationis ad Ludovicum Bohemiæ Regem post mortem  
Maximil.

Maximil. I. anno c 15 15 XIX. emissæ apud Goldast. in den  
politischen Reichshandel. P. I. Protoc. 5. n. 2.

Aph. IV. Ex his tamen non colligendum est, ac  
si ob hanc convocationem ad electionem jus aliquod in  
reliquis Electores competeret Mogundino Electori, cum  
præter directorium, potestatem nullam possideat, sed ra-  
tione superioritatis par jus cum illis habeat: aliud enim  
est rogare, aliud ad conventus cogere, ut bene notat  
Heinr. Gunther. Thulemar. in *Ostoviratu cap. XXIV. §. 13.*  
Quo loco & illud notandum, quod si Elector legitime  
citus neque copiam sui faciat, neque legatorum ido-  
neæ instructorum præsentia actum hunc electionis con-  
decorare studeat, ista vice privetur voce electionis,  
expresse sic disponente Imperatore in A. B. *Tit. 1. §. und  
welcher Churfürst.*

Aph. V. De convocatione Electorum dum agim9, hoc  
quoq; monendum arbitramur: aliam esse convocationē,  
quæ a Moguntino Electore peragitur, & ad singulos diri-  
gitur Coelectores, ut ad Electionem Imperatoris vel Re-  
gis Romani in locum destinatum conveniant; aliam vero,  
quæ fit a Saxonix Electore, quando jam omnes in loco isto  
sunt congregati. Illa Jure Decanatu9 pertinet ad Mogunti-  
nensem Archipræsulem, nec prærequirit Electoris cujus-  
dam censensū: Hæc vero Saxonix Electori, vigore Archi-  
Mareschallatus, quod gerit, officii, competit, & proprie  
dicitur *die Ansage* / atque necesse habet Moguntinus,  
ut, si Principes convocari velit id prius Electori Sax. tan-  
quam Archimareschallo denunciaret, & per eundem con-  
vocationem fieri curet. Vid. Carpz. *de Leg. Reg. cap. XI.  
sect. 6. n. 3. §§. 99.* Quæ convocatio a Sax. Electore per ejusdē  
hereditarium Mareschallum non in Electionis solum ac-  
tu, sed & in Comitii Imperii universalibus expediri  
solet,

C

solet, prout praxis demonstrat, & adducit Carpzov.  
*cit. loc. n. 1. & seqq.*

Aph. VI. Sed hic dubia quædam occurrit quæstio:  
Quid statuendum, si tempore electionis instituendæ De-  
canus Collegii Electoralis in vivis esse desierit, & sedes  
ArchiEpiscopalis vacans sit, an tunc jus convocandi Capi-  
tulo competat? Ita quidem videri posset, cum in ec-  
clesia vacante Capitulum vel collegium Canonicorum  
defunctum Prælatum Principem repræsentet, & parem  
cum eo habeat auctoritatem, *Gail. l. Obs. 30. n. 10. 12. Min-  
danius. de Process. Lib. I. cap. 19. n. 12. omniaque ea possit, quæ  
Episcopus cap. un. de Mai. & Obed. in 6. c. cum omnes. 6.  
X. de consl. fac. c. un. in pr. ne sed. vac. in 6. c. si Episcop. de  
neglig. Prælat.* Hinc ita argumentari licet: Si Capitu-  
lum ea omnia, quæ ipse Episcopus poterat, efficere valet,  
sequitur, quod Episcopo mortuo convocandi jus Capi-  
tulo competat, nec ipsi adimi possit. Prius est verum,  
E. & posterius. Verum rectissime negatur consequen-  
tia. Quæ enim de repræsentatione Episcopi iam attu-  
limus, ultra res ecclesiasticas extendi non posse, quis  
non videt? Iam autem nemo facile concedet, quod  
convocatio Electorum ad eligendum Regem vel Imper-  
ratorem Romanum pertineat ad ecclesiam aut Episco-  
pum quatalem: nam sicuti imperium Rom. quatale,  
nihil commune habet cum ecclesia: ita etiam actus ad  
illud quatale pertinentes non possunt peragi vel ab eccle-  
sia vel etiam à Capitulo eorumque membris quatalibus. Ele-  
ctor quippe Moguntino convocandi jus habet nõ ab Archi-  
Episcopatu, & quatenus præest Capitulo; sed quatenus est  
Princeps & Elector Imp. *Minf. C. V. Obs. 58.* & quatenus con-  
iunctam cum hacce potentia habet dignitatẽ Archicancel-  
lariĩ

cellarii per Germaniam, & Decani Electoralis collegii, cujus intuitu & Archivum Imperii publicum seu catho-  
phylaciū, quo publica Imperii documenta actaque con-  
tinentur, & matriculam Imperii adservat. Reinking. *de*  
*R. S. & E. L. cl. 3. c. 3. n. 8. p. 205.* Merito igitur ut caput  
sanctioris istius concilii Electoralis, Coelectores convo-  
cat, quippe cui omnes magistratus honorum suorum,  
fasces submittere non dedignantur, prout loquitur Bu-  
dæus *de officio Cancellarii agens ad tit. de offic. Præf. Præf.*  
*ref. Carpz. Disput. Feud. I. qu. ad A. B. 3. n. n. Dn. Bechman.*  
*P. I. Exerc. exot. Iur. Pub. Ex. III. §. 5.* Hinc bene cum eo  
deducit ante cit. Thulemar *c. XXIV. §. 14.* quod non  
possint convocari Electores a Capitulo, eo, quod Aur. B.  
solos Electores ad comitia illa in quibus Rex Romanus  
eligitur, admittat, & vero Capitulum non sit Princeps  
Electoꝝ; imo vere loquendo Archi Episcopus vel Episcopus  
tanquam summam dignitatem habens non sit de  
Capitulo, sed soli Canonici id constituent *cap. cum in-*  
*cunctis. 7. in fine X. de elect. & el. pot.* Et licet post corona-  
tionem Capitularis aliquis Moguntinus ac ordinarie Præ-  
positus (**Der Dom Probst**) Regem Rom. publice denun-  
ciet, & alta voce proclamet: **VIVAT REX!** & ad idem  
votum dicendum populum instiget; quisque tamen vi-  
det, hoc Electoꝝ nihil derogare, cum tantum sit ritus  
post electionem celebrandus, & signum humillimæ de-  
votionis. Add. Stephan. *de Iurisd. libr. II. p. 1. c. 5. n. 58.*  
Sinold. cogn. Schütz. *Disp. Iur. publ. II. th. 10. lit. b. & th.*  
*II. lit. a. Wurmser. Exerc. II. qu. 5. Carpz. Disp. Feud. I. qu.*  
*3. n. 12. Hermes. Fasc. Iur. publ. cap. VI. n. 23. Limn. de Iur.*  
*publ. lib. III. cap. 3. n. 54.* Quare recte in A. B. *cit. loc. §.*  
**Wenn es auch dazu kommen solte u. sancitum est, si in-**  
convocando Electoꝝ ad Cæsaris electionem negligens  
fuerit

fuerit Moguntinus, quod Capitulum eosdem non convocare, sed illi motu proprio Francofurti convenire debeant. Quamvis autem hoc decusum ad casum presentem, si mortuus sc. sit Archiepiscopus, directe non pertineat; quia tamen hinc optime licet argumentari, non inutiliter adductum puto.

Aph. VII. Hic præcognitis facile colligere licebit, quid sentiendum sit de Legatis Capitulum Archiepiscopium ad electionem mittendis, in casu, quo mortuus est Elector, & an hi ejus loco electioni adesse queant? Goldast, quidem admittendos eos statuit *L. III. de Regn. Bobem. c. 6. n. 26.* idque probare intendit ex præjudicio, quo Capitulum Coloniense anno c. lo LXII. vacante sede Archiepiscopali ad electionem Maximiliani II. citatum fuit, admissique Legati nomine Capituli tam diu in confessum Electorum, donec novus electus Archiepiscopus procuratorium Legati suo nomine renovaverit & confirmaverit. Sed hoc falsum esse ex *Carpz. Disp. Feud. II. qv. ad A. B. 5. n. 9.* ostendit Thulem. *cit. cap. XXIV. §. 20.* cum Electores noluerint tunc temporis ad electionem progredi, priusquam in locum lo. Gebhardi Coloniensis, ipso conventus tempore mortem cum vita commutantis, alius subrogaretur Archiepiscopus & Electora Capitulo Coloniensi. Nec etiam ratione destituitur ista sententia: si enim sede vacante capitulum beneficia de novo conferre & (quod pater *ex c. quanto V. c. ea noscitur VI. X. de his que sunt a Prælat. sine consensu c. 2. ne sed. vac.*) quæ specialiter Episcopis & Prælati competunt, expedire nequit; multo minus dignitatem Cæsaream, qua nullam orbis agnoscit augustiorem, poterit per votum conferre. *Wurmser. Ex. II. luv. Pub. qu. 4. Arum. de comit. c. 4. n. 103.* quia vero hic casus ad Electorem Moguntinum primario directus

directus non est, utpote de cuius Decanatu hic nobis sermo est, non diutius decisioni ejus immorabimur: sufficit, quod officio hoc Decani Capitulum neque per se, neque per legatos recte possit fungi.

Aph. II X. Illud adhuc addimus, Moguntinum Archi-Episcopum, si capitulariter quidem electus, nondum tamen intulatus aut consecratus sit, officium Decanatus quod in convocatione Electorum consistit, licite exercere posse: quoniam sc. Ius illud & dignitas Decanatus ipsi tanquam Imperii Principi competit, quem tamen Papa sua consecratione facere non potest. Vid. Herm. Herm. *Fasc. Iur. publ. d. cap. VI. n. 23.* cum Buxdorff. *ad Aur. Bull. concl. 18.* Dan. Ott. *de Iure publ. c. X.* Aliud dicendum putat Hermes, *d. l. n. 25.* si Archi-Episcopus iste electus nondum Investituram a Cæsare impetrauerit, cum hoc in negotio ut princeps consideretur, qualis demum fit per investituram cæsaream II. *Feud. quis dicatur Dux.* nec privati Capitulares ex Nobile vel Comite Principem conficere possint. Accedit, quod Electores juxta *A. B. jura-*re debeant per fidem, qua imperio adstricti sunt, *A. Bul. cap. II.* necesse igitur est, ut antea Imperio se obligaverint, quod fieri solet per investituram. Ceterum, an, si Decanus unius aut alterius convocationem omittat, electio valeat, (quod affirmatur, quia quilibet pro fidei suæ virtute etiam non vocatus ceteris se ad sociare debet. *A. B. c. I.*) an potius vocati non vocatos, ut & ipsi compareant & accedant interpellare debeant? (quod consultius est) aliaque huc pertinentia latius tractat cit. d. D. Bechman. *d. l. §. seqq.* quo lectorem, quia instituti nostri ratio hæc a nobis expediri non permittit, brevitatis causa remittimus.

Aph. IX. Post eminentissimi hujus Collegii Decanatum jam nobis sese offerunt Decani Facultatū, quos in Academiis hodiernum habemus. Sicuti enim Decanus est societas decem virorum, ut describitur ab Hug. & Accurs. in rubr. C. de Decurion. ita etiam primo ævo in singulis Facultatibus deni habebantur viri, qui singulas diei horas antemeridianas & postmeridianas in explicandis Facultatis suæ dogmatis consumerent, & illis decimo præficietur, quæ DECANUM vocabant, quod suæ Decaniæ præses & moderator esset Franc. Jun. de Acad. c. IV. p. 137. Licet vero hodie necessitate quadam exigente in Facultatibus Professorum numerus denarius exspiraverit, nihilominus tamen caput Facultatis singula expediens negotia, requirebatur: unde nomen & officium Decanorum ad hæc usque tempora retentum fuit: sed ita, ut non penes unum tantum permaneret hæc dignitas, verum post duodecim, aut etiam sex mensium curricula prioribus succederent subsequentes. Diversum quoque hunc articulum obtinet in Academia Lipsiensi, in qua peculiariter receptum est, ut Ordinarius in Facultate Juridica perpetuum sustineat Decanatum, sicut & in Facultate Medica hoc officium perpetuo est penes unam eandemque personam. In ceteris vero duabus Facultatibus, Theologica scilicet & Philosophica, singula membra communem cum ceteris hanc dignitatem habent, & elapso semestri tempore, alter alteri secundum ordinem succedit. Carpz. in Jurispr. Conf. Lib. 2. T. 25. def. 401. n. 9. & 10. Notatu quoque dignum videtur, quod in hac Academia Salana huc usque factum esse novimus: scilicet in amplissima Facultate Theologica obtinet, ut, si quando contingat, Professorum quendam hujus ordinis Rectorale subire munus, coniun-



coniunctum simul cum hoc officio Decanatum gerat:  
quod tamen magis ex accidenti fieri quam studio ita or-  
dinatum esse credimus.

Aph. X. Præterea officium horum Decanorum in quo  
consistat, describit Matth. Stephan. *de jurisdictione Lib.*  
*III. p. 2. c. 4. n. 7. seqq.* Cujus proinde verba rem totam con-  
ficientia hic adducere juvabit: ita enim: *Qualibet colle-*  
*gia seu Facultates habent certum caput, sive superiorem*  
*aliquem, puta Decanum, quem ex eorum ordine debito modo*  
*& stato tempore, pro observantia & consuetudine ejusque*  
*loci eligunt, in quem omnem potestatem & jurisdictionem col-*  
*legialem transferunt, qui & idcirco necessitate ita efflagitan-*  
*te, collegas in suo collegio, pro commodo illius collegii jus*  
*habet convocandi, & a quo collega vocati comparere cogun-*  
*tur, nisi absentie justas rationes prætere possint. Cumque*  
*ut plurimum a Teologis, Ictis, Medicis & Philosophis con-*  
*silia petantur, Decano id incumbit, ut ille auditis prius alio-*  
*rum suffragiis, sententiam in mundum redactam obsignet &*  
*confirmet. Denique si qui sunt, qui ad dignitates Doctorales*  
*promoveri volunt, hi prius nomina sua Decano dare tenentur,*  
*quos ille postmodum toti collegio ad examen sistit, & si in eo bene*  
*steterint, publico testimonio virtutis & doctrina in publico actu*  
*exornat & adscit. Cui & subscribit Io. Limnæus de Jur. Publ.*  
*L. II. c. 4. n. 44. Add. Herman, Hermes, Fascic. Jur. Publ.*  
*cap. XXXIII. n. 141. Clarius hæc apparebunt ex ipsis*  
*cujusvis Academiae statutis: nos in præsentia, quid in hac*  
*nostra illustri Academia circa hanc rem ordinatum sit,*  
*referre haud inutile futurum arbitramur. Ita enim,*  
*quantum quidem ad Theologicam attinet Facultatem,*  
*in statutis ejus legitur:*

DUO-

## DUODECIMA LEX.

### De electione Decani & officio ejusdem.

Decanus eligatur suffragiis collegii hujus, & ordine singuli Doctores fiant Decani, nisi magnitudo negotiorum postulet, aetate & usurerum praestantem eligi. Ac electus Decanus promittat, se his legibus diligentissime sanctissimeque obtemperaturum esse. Quoties autem collega ad deliberationes convocantur, jus rogandi sententias penes Decanum sit, & quidem eo ordine, quo singuli in collegium cooptati sunt. Decanus tamen sine Collegiarum consensu nihil gravioris negotii statuat.

## DECIMATERTIA LEX.

### Similiter de officiis Decani.

Decano sigillum Facultatis & librum, in quo nomina Collegiarum annotata sunt, tradimus, eundemque obligamus, ut religiose operam det, ne quisquam, nisi doctrina & moribus probe cognitis ad ministerium titulo Doctoris, aut ad alias functiones admittatur. Neque Rector quencquam studiosorum hujus Professionis nostrae testimonio publico sine consilio Decani nostrae facultatis ornet. Quoniam vero magna hominum imbecillitas est, & voluntatum inconstantia, & Eceborum multitudo gravissima infirmis scandala obiicit, volumus, ut testimonio publico ornandi, proprio etiam chirographo confessionem suam ab omnium sectarum inquinamentis puram apud nostrum Collegium deponant, qua, si, opus sit, & necessitas ita requirat, confundi & convincitales queant.

DECI-

## DECIMA QUARTA LEX.

*Rursus de Decani officio.*

Quotannis Decanus semel convocet auditores omnes, qui precipuam operam in Studiis Theologicis consumunt, & aliquorum industriam propter duas causas exploret. Primum, ut vicinis ecclesiis personas idoneas ad docendum indicare possit. Deinde ut hac exploratione in multis cura discendi acuatur. Utile igitur iudicamus, ut talium nomina conscripta habeat.

Verum hæc ultima Lex in usu esse desiit. Interim reliquarum Facultatum de officio Decani concepta statuta, cum iam adductis fere coincidunt, quare eadem brevitatis studio consulto hic prætermittimus. Quoniam vero quædam clarius inibi expressa sunt, quæ ex prædictis non adeo facile cognosci possunt, non abs re erit, hæc quoque prioribus adicere. De facultate quippe Iuridica ita in ejusdem statutis Cap. 1. §. 8. sancitur.

Decanus cum abibit Magistratu, rationem Actorum & expensarum, libros & cetera huc pertinentia Decano futuro reddito.

quamvis & ea, quæ de expensis dicuntur, mutationem quodammodo receperint.

In statutis itidem Facultatis Medicæ Tit. de Decano Facult. Medic. hæc verba leguntur.

Quemadmodum singule aliarum Facultatum eligunt suos Decanos: ita Facultatis Medicæ Decanus a sua Facultate eligi debet, eo ipso die, quo Rector renunciatus est. Et qui Decani suarum Facultatum principes persone existunt: ideo in conciliis & omnibus Academiæ congressibus primum locum obtinebit Decanus, deinde Seniores Professione succedent quisque suo loco.

D

Si quis

*Si quis autem ex nostra Facultate Medica Rector fuerit, is postea Medica Facultatis Decanus erit.*

Cetera, quæ hic non exprimuntur, præter obiecti diversitatem a Statutis Theologicae Facultatis alienum in se nihil continent. Quapropter libentius nos ea relinquimus.

Aph. XI. Quod reliquum est, notamus Decanum Facultatis Philosophicæ ritum Depositionis ad removendum Beanismum certis adornare solemnitatibus, quibus peractis Beani, uti vocari solent, Albo Studiosorum inscribuntur. Plura de hoc Decano vid. in *Ordinat. Elect. Sax. de Academ. Lips. & Wittenberg. Tit. von der Wahl des Decanen in allen Facultäten.*

Apc. XII. Sequitur, ut etiam de Decanis Collegii Canonorum quædam breviter dicamus. Sunt autem Canonici, qui in collegio quodam seu sodalitie ecclesiastico congregati communem quandam regulam, seu canonem institutumque observant, a quo canone id est, regula vitæ, vel etiam a pensione, sive annona quæ ipsis tanquam stipendium tribui solet, nomen adepti sunt. vid. Franc. Duaren. *d. sacr. Eccl. ministr. Lib. I. cap. 18.* Aug. Barbof. *d. Canonic. & Dignit. cap. I. n. 1. 2.* Et de Ecclesiæ quidem Pontificiæ Canonicis, eorumque Decanis sciendum, quod Decanatus simpliciter confideratus jure communi nullam habeat dignitatem, cum neque Decreta Canonum, neque Pontificum Rescripta Decanorum ullam faciant mentionem, nec hi in locis, qui clericorum dignitates & officia recensent, ut sunt *can. clericos. l. dist. XXI.* nec non *can. perlectis. l. dist. XXX.* reperiantur numerati. Aug. Barbof. *d. Canonic. cap. 1. n. 31. & cap. VII. n. 2.* Dignitas enim in ecclesia tribus cognosci modis potest. Primo ex administratione rerum



rum ecclesiasticarum cum jurisdictione. Abb. *in cap. de multa, n. 21. vers. communiter tamen, de Præb. & ibi Ioan. de Imol. sub n. 38. vers. sed Archidiaconus.* Nam dignitas dicitur, ubi est jurisdictio. Böer. *Decis. CCLXXXVI. n. 2.* Franc. Aretin. *Conf. XIII. n. 1.* Deinde præsumitur ex nomine dignitatis, & prærogativa sedendi ante alios, tam in Choro, quam in Capitulo, etiam absque jurisdictione, uti notat Rota apud Tamburin. *in fin. Tom. III. de jure Abbat. Dec. V. n. 9.* Denique locorum quoque consuetudine vel institutione ecclesiarum dignoscuntur dignitates *cap. cum olim VI. de consuetud. Boër. d. Decis. CCLXXXVI. n. 7. Pacian. de probat. l. II. c. 27. n. 19. Barbof. l. I. Juris Eccles. univ. c. 21. n. 14.* præsertim cum hæc potius in ecclesia quam jus commune attendatur. *Grammat. Decis. LXIV. n. 27. & 28. Mantic. Dec. CLXXV. n. 3.* adeo, ut etiam sedendi, eundi & standi formam iuxta eam metiantur. *Salgado de Protect. Reg. Tom. I. part. 2. c. 9. n. 18.* & prima in ecclesia dignitas ut plurimum ex ea judicari soleat. Præterea defertur dignitas ex declaratione facta per Capitulum, & ex pluribus actibus & functionibus capitularibus, nec non ex communi reputatione in ecclesia pro tali. *Barbof. c. l. n. 18.* Ex his igitur patet, quod de jure communi in dignitate non constituentur Decani, cum nullam habeant jurisdictionem & careant jure prælaturæ in Capitulo, cujus ipsi partes sunt. Abb. *in cit. cap. post. electionem sub. n. 9. circa fin. vers. item puto, de concess. præbend. sed tantum consuetudine & ecclesiæ constitutionibus eam sibi adquirant.* *Barbof. c. l. n. 19. Card. Tusch. Tom. II. lit. d. conclus. 419. n. 22.* In aliquibus tamen partibus velut in Lusitania, tota fere Hispania & Gallia Decanus viçes Archidiaconi, quem jura primum constituunt, in Cathedralibus ecclesiis sustinet, &

majorem dignitatem post Pontificalem habere dicitur, ita ut post Episcopum major & principalior cura & collegii administratio eidem competat, Zamorensi. *in spec. vitæ hum.*, L. II. c. 13. Chassan, *in cat. glor. mund.* p. IV. *confid.* 37. Reginald. *in Prax. fori pœnit.* L. XXX. tract. I. c. 3. n. 48. ubi tradit: in cunctis fere Galliæ ecclesiis Decanum ex consuetudine in Capitulum seu Collegium Canoniceorum jurisdictione pollere, illique tanquam superiorem esse præpositum. Mih. Ferrus *de præced. eccles.* qu. 5. n. 3. & *segg.* & qu. 27. n. 1. unde collegium, ut & personas, ac res collegii eum judicare atque tractare dicit jam alleg. Zamorensi. eodem modo ac olim *Exod. cap. XVIII.* Decani populum judicaturi a Moysè leguntur constituti: *Ex hoc enim tempore, scribit, sacri canones venerandam eam dignitatem decreverunt. Est quippe caput collegii, de quo scriptum est: constituit eum dominus in caput non in caudam, quod ceteris corporis membris auctoritate & judicio præcellit, idque primitus loci in ecclesia judicat.* Quæ dignitas eo magis augetur, quod in plurimis collegiis & capitulis prima vox, prima salutatio, & primi accubitus eidem tribuuntur. *Id. c. 1.* Sed hæc ubique non obtinere jam ante diximus: de jure namque *Archidiaconus Decanus* antecedere docuit Ferrus *c. qu. n. 2.* & absente Archidiacono in ejus demum locum succedere Decanum, testatur *Rcta dec. DXXXIII. n. 5. & 6. p. 2. recent.* Quare licet quandoque in jure Archidiacono præferri Decanus videatur, *ut in cap. ad aures VIII. §. 1. de rescript.* id tamen minime ex lege quadam aut canone scripto, sed a consuetudine, cui hæc Decanatus dignitas natales debet, procedere scribit Barbof. *de Canon. & Dignit. cap. VII. n. 5.* quoties enim jura mentionem faciunt aliquorum Prælatorum exempli tantum gratia seu doctrinæ causa, non

non seruari aut attendi ordinem scripturæ, ex textu *in cap. cum in cunctis. VII. §. inferiora.* ubi *Decanatum, Archidiaconatum &c. de elect.* probat idem *d. loc. n. 5. in fine.*

Aph. XIII. Accidit interdum, ut locum Archipresbyteri in ecclesia obtineat Decanus, quo fit, ut tanquam subrogatus eadem possit efficere, quæ Archipresbyter consueto more in ecclesia solet peragere; atque tunc simul cum officio adipiscitur dignitatem Archipresbyteri, quam non haberet, si in suo simplici statu permaneret. *Rota decis. XVII. sub. n. 1. vers. sed caue. de concess. prebend. Petr. Gregor. Synt. Iur. P. V. l. 15. c. 21. n. 12. & de benef. c. X. n. 24. & in part. Iur. Can. L. II. t. 9. c. 5. n. 4.* Hinc illud quod in *Putei decis. CCIX. n. 2. l. 3* dicitur: Decanum respectu Capituli pro persona privata reputandum non esse, sed habere prælaturam cum jurisdictione in Capitulo, cui præfectus sit, conjunctam, intelligi optime de Decano Archipresbytero putat *Barbos. c. L. l. c. 21. n. 40.* Et in tali significato si sumatur Decanus, Archidiacono illū postponi certum est, non quidem ratione ordinis: hoc enim modo quilibet Presbyter est major Archidiacono; sed dignitatis intuitu, & respectu jurisdictionis excellentioris. Quo pertinet *cap. ad hæc VII. de offic. Archidiacon.* ubi dicitur Archipresbyteros a pluribus Decanos nuncupari & jurisdictioni Archidiaconi subesse. Possimus hic late de officio Decani in locum Archidiaconi & Archipresbyteri subrogati differere: cum tamen nullus hodie ejus usus apud nostrates existat, & futius de horum officio agat *Barbos. c. l. c. 24. §. 25. it. Azorius P. II. inst. Moral. l. 3. c. 14. §. 15.* studio illud hic prætermittimus, eos, qui de *Decanis Ruralibus* adhuc

quædem desiderant, ad *Analecta Illustris D. Lynkeri ad Desselii Erotemat. Iuris Canon. Lib. 1. T. XXIV. qv. 3.* remittentes. Præterea quibusdam in locis decem Monachis *Decani* in monasteriis præponuntur, qui curam gerunt super *Decanias suas*, in omnibus secundum mandata Dei & præcepta Abbatis sui, velut ex vita *S. Alexandri Acaemeti Abbat. c. VII. & Regul. S. Benedicti c. XXI.* demonstrat *Carol. du Fresne c. 1.* Et his Decanis alii quoque *Decani*, qui *Seniores* aut *Majores* vocabantur, erant præpositi, qui ordinationibus suis minores regere jubebantur. *Id. c. 1.*

*Aph. XIV.* Quod reliquum est, ad nostra Proreftantium Capitula seu Ecclesias, uti vocantur, *Cathedrales & Collegiatas* accedimus, in quibus Decanatus quoque dignitatem hodiernum vigere cernimus. Licet enim hæc *Canonicorum collegia* non amplius papali regantur ordinatione, nec religionis proprie cura ad eadem pertineat, vestigia tamen veteris institutionis non exigua passim in illis deprehenduntur, & ritus observantur non pauci, qui cum Pontificiis conveniunt. Huc igitur referimus Decanatum, seu jus illud præsidendi *Canonicis & Capitularibus*, quod, uti jure quoque Canonico pro seculari reputatur beneficio & secularibus personis conferri solet, *Dessel. Erot. Jur. Can. L. III. c. 5. qv. 5.* ita & apud nostrates cum similibus aliis beneficiis pro tali habetur. Quod autem functiones Decani attinget, sciendum, eum præter alia cultum divinum in ecclesia dirigere, &, ut omnia decenter ac ordine fiant a *Canonicis*, prospicere, habita simul morum & honestatis in illis & *Vicariis* cura. Præterea etiam primum in *Capitulo* votum ei competit. *Franc. Marc. Dec. CCCLXV.*

*1111, 12.*



Num. 12. & caput dicitur Capituli, vi cuius officii vota colligit & ex iisdem sententiam format ac pronunciat. Hinc etiam perpetuo residere in loco Capituli, & si quando causis urgentibus commotus iter suscipere cogatur, licentiam a capitulo prius impetrare, ac vices interim Seniori pro tempore demandare jubetur, prout patet ex Decreto Visitat. Archi-Episcop. Magdeburgens. ab ejus quondam Administratore D. AUGUSTO glor. mem. Anno MDC LVI. promulgato, ubi de Decanis p. 53. S. zu sörderff ita legitur. Züörderff aber sollen die Decani, weilm Sie caput Capituli seyn/beständig residiren/da sie aber erheblicher Ursachen halber verreisen müsten/ sollen sie es mit Vorwissen des Capituls thun/ und ihre vices dem Seniori pro tempore, wie es bey allen Collegiis hergebracht/ gebührend auftragen.

Aph. XV. Reliqua ad officium horum Decanorum spectantia, quae nosse desiderat, petere illa poterit ex cujuslibet Ecclesiae Collegatae statutis peculiaribus. Exempli loco hic ea tantum oculis subiicere juvabit, quae in statutis Capituli Ecclesiae Magdeburgensis ad S. Nicolai continentur, quaeque nobis benevole communicata sunt, & ita se habent:

## CLASSIS XVI.

### De Prelaturis & Dignitatibus Ecclesiae.

1101. *III.* Decanus in Nostro Capitulo Electiva Dignitas habens fuit, prout non immerito Electiva manet.

1102. *V.* Senior Capituli vices Decani defuncti per Bimestre spatium sustinet, eodemque elapso Electio per modum seruari instituitur.

VI. Quae

VI. Qui quidem Modus procedendi circa Actum Electionis, cum sit ex jure & more recepto non ignotus supervacanea est istius annotatio & descriptio uberior.

VII. Ad Antecedentia istius Actus pertinet, ut singuli Residentes, majoribus tamen, non mediis Prebendis provisi, sive presentes, sive absentes tum fuerint, ad certum Electionis destinatum diem convocentur, & ut in Termino Electionis Capitulares per Seniores serio moneantur, de eligendo maxime idoneo, citra favorem & gratiam, odium & inimicitiam.

VIII. Actus Electionis admodum in Ecclesia Metropolitana usitatum celebrator & absolutor, quo finito novus ad iuramenti usitati prestationem obstrictus esto.

IX. Decanus in Ecclesia nostra divini cultus director esto, & omnia decenter ac ordine fieri curato: Cherales instituendi & removendi potestas penes Scholasticum maneat.

X. Morum quoque & honestatis Canonicorum & Vicariorum Ecclesia nostra Decanus diligens Inspector & Censor; Ipsimet vero cum primis irreprehensibilis esto.

XI. Votum Decanus in Capitulo primum habeto, atque unum duntaxat, & ex Majoribus sive pluribus votis reliquorum decisivum eruito & proferto.

XII. Peculiares ad Decanatum spectantes Reditus, quantum de istis hodierno die impetrari potest, capito, & corpus distinctum illi semper maneat.

XIII. Non, nisi cum licentia Capitali, peregrinari proficiscitor, & abiturienti Seniores vices demandato.

XIV. Subditi Capituli in Pagis Hohen & Mittel Gelau Decano noviter electo, & missis illuc Decano cum Seniore & alio in super Capitulari ac Camerario, juramentum subjectionis erga Capitulum renovanto.

Huc

Huc usque ea, quæ ex statutis Magdeburgensibus scopum nostrum illustrare quodam modo visa fuerunt. Ex quibus etiam plura potuissent addi, eaque fortassis non ingrata: placuit tamen in iis, quæ specialiora sunt, & ad ritus pertinent, cuius plerumque loco peculiare, calamus non nimium extendere. Variant enim ista, prout unicuique collegio vel ipsa singularis lex præscribit, vel consuetudo introducta legem fecit. Interim quæ ex dignitate muneris ipsius esse videbuntur, nostrum erit, paulo fufius nunc persequi.

### CAP. III. DE DECANIS NOSTRI ÆVI ECCLESIASTICIS.

Aph. I.

**D**olixè satis dictum est de Decanorum variis generibus eorumve functionibus: Nunc res postulat, ut & de Decanis nostri ævi Ecclesiasticis quædam addamus. Quod ut fiat, considerari debet tum generatim, quid & quotuplices sint? tum speciatim illorum Constitutio, qualitas, officium, dignitas, & si quæ his adhærent. Quantum igitur ad definitionem attinet, dicimus, quod *DECANI* sint *personæ ecclesiasticæ pluribus certis Ecclesiis præpositæ, vi exercitii juris Episcopalis à Principe concessi, Inspectionem in Clericis sibi subjectos & bona ecclesiastica habentes.*

E

Post.

Postquam enim Ecclesia Christi in hoc mundo visibilis ex duobus hominum generibus constat, Clericis scilicet & Laicis, quorum illi Imperantium, hi vero parentium vicem sustinent: eadem vero per varias terras dilatata unius solius Imperio regi nequiret, ipsa necessitas potestatem illam ecclesiasticam varie dispersiri iussit, ita scilicet ut unus alteri subordinetur, & tam inspectio, quam cura animarum diviso quasi onere, facilius expediretur. Hinc Patriarchatus erecti, quorum cuique certæ Dioceses & Primatus subordinati. Horum Patriarcharum tres recensentur in *cap. II. dist. 22.* nimirum Romanus, Alexandrinus & Antiochenus: quinque vero ab Imp. in *Nov. CXXIII. c. 3.* Romanus puta, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Theopolitanus & Hierosolymitanus, quem etiam fere ordinem servat Eugenius IV. in *cap. III. de Summ. Trinit. Lib. VII.* In quos denique Romanus Papa supremam potestatem, quæ summum universæ Ecclesiæ caput affectavit, *can. III. dist. XXI.* Post Patriarchas constituti sunt *Metropolitani*, potestatem exercentes in reliquis suæ provinciarum Episcopos. Ipsi vero *Episcopi* præpositi fuere pluribus paræciis seu Ecclesiis sub diocesi Episcopali contentis. Et harum quidem episcopaliū Ecclesiarum ratio ad singulas civitates initio iuxta canones fuit restricta: quum vero per Germaniam id non observaretur, sed Episcopatus unus plures sæpe civitates comprehenderet, conquesti ea de re sunt Status Germaniæ, apud Hortled. *d. caus. belli Germ. lib. I. c. 37.* Petr. Suav. *Hist. Concil. Trident.* atque amplitudinem Ecclesiarum coequerunt, ita ut mutato nomine *Superintenduntur* atque *Inspectiones* instituerent, & has porro in  
Deca.

Decanatus aut *Adjuncturas* dividerent. Vid. D. Schilter, *Instit. Jur. Canon. lib. 1. tit. 3. §. 23. in f.* Reliquus Clericorum ordo quomodo juxta dignitatis & officiorum, diversitatem dividatur in Archi-Diaconos, Diaconos, nec non Acoluthos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios, Psalmistas &c. vid. in *can. 1. Dist. XXV. Ziegler, ad Lancelot. Inst. Jur. Can. Lib. 1. tit. 23. aliosque,*

Aph. II.

Divisionem quod concernit Decanorum, novimus quod non nullis in locis constituti sint partim *Decani Generales*, partim *Speciales*, veluti horum exempla suppeditat vicinus Comitatus Mansfeldicus: Quorum utrorumque quidem officium in Inspectione & Directione Pastorum ipsis subditorum consistit; Ratione ordinis tamen alter alteri subordinatur, atque speciales à Generali dependent. Cum enim Decanorum officium & potestas eadem sit quæ Superintendentium, illique eadem cum his gaudeant dignitate; inter istos autem hæc observetur graduum differentia, ut alius *Superior* audiat sive *Generalis*, qui reliquis præest, illosque gubernat, alius *Specialis*, qui Pastorum quidem sibi commissorum curam gerit, cæterum directioni Superintendentis generalis subest. Ita etiam cum Decanis ejuscemodi comparatum est, ita ut gradu saltem differant, in reliquis autem quæ ad officium & functiones peragendas pertinent, convenient. Deinde ratione loci forsân non inutiliter dividi possunt Decani in *urbicos* & *rurales*, quorum illi in urbibus, hi in villis habitant & inspectionem exercent. Similes sunt rurales isti seu villani Decani ChorEpiscopis antiquæ Ecclesiæ, qui sc. ad id erant deputati, ut extra Ecclesiam

E 2

catho-

cathedralem vicariam operam & inspectionem in minores Ecclesias parochiales Episcopo præstarent, quasi τῷ χῶρῳ ἐπίσκοποι, de quibus tractat Strauch. *Amanit. Jur. Can. Semestr. 1.* & multi allegati apud Schilter. *Instit. Jur. Can. lib. 1. tit. 7. §. 21.* Carol. du Fresne *Gloss. in sm. & Med. Lat. verb. Chorepiscopus.* Licet vero Chorepiscoporum officium in multis ab Episcoporum ministerio differret & plurima negotia ecclesiastica ipsis fuerint prohibita ut videre est ex *can. IV. dist. LXVIII.* Concil. Ancyren. *can. XIII.* Concil. Neo Cæsar. *can. XIII.* postea quoque à Damaso Papa in suo districtu penitus reprobati. *can. V. d. Dist. LXVIII.* In nostris tamen Ecclesiis eosdem hodiernum optime repræsentant Decani isti extra cathedralem vel primariam Ecclesiam in villis & rure, constituti, quales in locis vocantur *Adjuncti Superintendentium*; quamvis inter hos quoque discrepantiæ ratio appareat: in eo vero conveniunt, quod nostri Decani de Episcopali Inspectione participant, & eadem circa presbyteros suos paganos nec non in Ecclesia ipsa peragere possint, quod ipsi Superintendentes. vid. D. Schilter. *Instit. Jur. Canon. Lib. 1. tit. 7. §. 21. & tit. 8. §. 4.*

### Aph. III.

Progredimur ad causam efficientem Decanorum, visuri quisnam eos constituere possit? Facile id utique constat, si perpendamus, Decanos Superintendentium vicem gerere, parique cum iisdem gaudere potestate ac honore. Jam vero notum est, in Ecclesiis nostris Evangelicis, Superintendentes, qui sunt loco Episcoporum, à nemine constitui, nisi à summo Principe, cui & jus circa sacra competit, & qui jura Episcoporum



scopalia immediate exercet. Vid. Carpz. *Jurispr. Confess.*  
*Lib. 1. def. 19.* Brunnem. *Jur. Eccles. Lib. 11. cap. 8. §. 21.*  
Ex quo infertur, nemini esse facultatem constituendi  
Decanum, nisi summo Principi. Licet autem sapius  
Decanatus annexus sit Pastoratui & in unâ eademque  
persona Decani dignitas & Pastoris officium insepara-  
biliter sint connexa, non tamen ob id Patrono, qui alias  
Pastorem nominare potest, jus competit vocandi  
Decanum, sed manet tantum Patrono jus nominandi  
quem in Pastorem nec non eundem cum consensu Prin-  
cipis vocandi ac præsentandi, Princeps vero deinde  
talem pastorem, constituit Inspectorem in cæteras Ec-  
clesias, ad quas jus Patroni extendi nequit. Schilter. *In-*  
*stit. Jur. Can. Lib. 1. tit. 14. §. 19.*

Aphor. IV.

De qualitatibus in Decano requisitis si loqui ve-  
limus, necesse habemus iterum ad illa respicere, quæ  
hac in re de Episcopis communiter tradi solent. Ni-  
mirum 1. primarium requisitum est *recta & catholica*  
de Deo & divinis *fides Nov. CXXII. c. 1.* Cui 2. sub-  
ordinatur *pietas*, quoniam plus ædificant in Ecclesia,  
exempla quam nuda verba. 3. Succedit *Eruditio*, saltem  
quoad intellectum S. Scripturæ, & ut ejus dicta ad cer-  
tos usus rite applicari possint. 4. Hanc comitari debet  
*virtus honesta d. Nov. CXXIII. c. 1.* 5. Requiritur insuper  
*justa & matura Aetas.* Et Imperator quidem in *alleg.*  
*Nov. CXXIII. c. 1. §. 13.* annum XXXV. definivit, Con-  
cilium autem Lateranense, relatum in *cap. VII. d. elect. &*  
*elect. potest.* trigesimo contentum est anno, idq; secun-  
dum Christi exemplum, qui trigesimo anno baptizatus  
est, & tunc prædicavit, prout habet concilium Neo-

Cæsariense in *can. IV. dist. LXXVIII.* quibus omnibus 6.  
superadditur *Integritas membrorum*, & ut non sit vitiatus  
corpore *cap. pœnitentes III. Dist. LV.* quæ omnia neces-  
saria quoque sunt requisita Decanorum. Circa ultima  
tamen duo hodie dispensari posse & solere, pluribus  
tradit Brunnem, *Jur. Eccl. Lib. I. cap. 5. §. II. & 12.* ibique  
Dn, *Stryck. in annot.*

#### Aph. V

De munere nunc ac potestate Decanorum dicen-  
dum est. Quoniam vero Decanos Superintendententium  
vicem gerere ex antea prolatis notum est, ipsos autem  
Superintendentes cum Episcopis convenire, imo ex-  
presse Episcopos vocari, *can. XXIV. verb. quod quidē græce*  
*Dist. XCIII.* constat, tuto inferre licet, exercitium juri-  
um, non quidem omnium, quorundam tamen Episco-  
paliū illis competere. Quod ut plenius intelliga-  
tur, ipsum jus quod vocant Episcopale, prius di-  
spiciendum erit. Est igitur jus Episcopale nihil aliud  
quam facultas officio Episcopi connexa, qua Episcopus  
utitur in personas ac res suæ potestati subiectas, Brun-  
nem, *Jus Eccles. Lib. I. cap. 6. memb. 12. n. 1.* Hujus juris  
vulgo tria constituuntur genera, quorum primum con-  
cernit *ordinem*, alterum *legem diocesana*, tertium in *Ju-  
risdictione*, quam Imperator *Audi. utiā* vocat, consi-  
stit. *cap. XVI. cap. XLIX. ibiq. Gloss. de offic. Judic. ordin.*  
Alii qui ad curatiorem doctrinam tradere satagunt,  
quædam *ordinis* ratione, quædam *dignitatis*, & quædam  
*jurisdictionis* lege ad Episcopum spectare dicunt. An-  
ton. de Butrio *conf. XIX. in pr. Felin. in cit. c. XLIX.* Qui-  
busdam hæc partitio displicet duo statuentibus mem-  
bra: *ordinem sc. & diocesin*, Legis quippe *diocesane* &  
Legis



Legis jurisdictionis non posse dari certam doctrinam  
& magis casibus singularibus, quam ratione à se invi-  
cem distingvi, adeoque legem dicecesanam jurisdictionem  
sub se comprehendere, putant. Innocent *in c. 1. p.  
r. & fin. X. de stat. Monachor.* Ir. Abbas *in c. cit. dile-*  
*ctus X. de offic. jud. ordinar.* Cum quibus facit Paur-  
meit, *l. 2. de Jurisdic. c. 7. n. 12.* Vtramque tamen  
hanc partitionem optime conjungi posse tradit Ger-  
hard, *de potest. Eccles. §. 15.* ita ut functiones & jura  
episcopalia omnia partim *ordinis* esse dicamus, partim  
*diceceseos.* Et hæc rursus *vel dignitatis Episcopalis* sive  
dicecesanæ, quam speciatim legem dicecesanam vo-  
cant; vel *jurisdictionis.* Alia distinctione rem hanc  
expedit Illustr. D. Lynckerus *in Anal. ad Synt. Jur.  
Feud. Struv. cap. VI. aph. 15.*

Aph. VI.

Ius ordinis quo atinet, sciendum, quod Pontifi-  
cii per hoc potestatem intelligant illam, quæ ordini E-  
piscopali vi ordinis ita propria est, ut a reliquis or-  
dinibus ministrorum ecclesiæ exerceri nequeat: Ve-  
luti sunt Clericorum ordinatio, benedictio virginum,  
depositio, Ecclesiarum consecratio &c. Lancellot, *In-*  
*stitut. Jur. Can. Lib. 1, tit. 9. §. f.* Quam tamen senten-  
tiam improbat Ziegler, ad Lancellot, *tit. loc.* & hæc so-  
la ordinis esse contendit, quæ ratione ordinationis &  
consecrationis ecclesiæ ministris demandantur. Unde  
opime distinguendum esse putat Dn. Stryck, *in not. ad  
Brunnem jus Eccles. Lib. 1. c. 6. memb. 12. §. 2.* inter illa  
quæ sunt ordinis, & quæ sunt dignitatis episcopalis. Il-  
la enim communia sunt episcopo cum omnibus mini-  
stris, e. gr. administratio sacramentorum: Hæc vero  
Episco.

Episcopo speciatim dignitatis & eminentiæ causa relicta, & directionem quandam reliquorum Ecclesiæ ministrorum continet. Hinc si nostrum statum ecclesiasticum respiciamus, ad Jus ordinis præter Ministrorum ecclesiæ receptionem, templorum institutionem & similia, referre licet Prædicationem verbi divini, Administrationem Sacramentorum, Potestatem clavium ligandi & absolvendi. Johann Sithman *Idea Juris Episcop.* cap. XI. Ohm. *de Jur. Episcop.* lb. XVI. Et Principes quidem seculares, penes quos jus episcopale residet, ultimos hos actus ipsis Clericis ac Ecclesiæ ministris committere solent, per quos illi aptius peragi possunt, cum nihilominus pars quædam juris episcopalis maneant.

Aph. VII.

Reliquos quod attinet juris episcopalis ad ordinem pertinentes actus, ut sunt Potestas clavium suprema, Jus examinandi, ordinandi, confirmandi & consecrandi personas ecclesiasticas, expediri illi solent hodie vel per Consistoria ecclesiastica, uti vocantur, Schilter. *Inst. Jur. Can. lib. I. cap. 7. §. 3.* vel per ipsos Superintendentes, Decanos & Inspectores, qui multis in locis simul membra sunt Consistorii; Quosdam vero actus ipsi sibi principes reservaverunt administrandos, ut sunt collationes beneficiorum ecclesiasticorum, ædificationes locorum sacrorum, quippe quæ jussu principis suscipiuntur, promulgationes constitutionum ecclesiasticarum & similia quanquam plerumque consensum ordinis ecclesiastici soleant requirere, conf. Brunnem. *de Jure Eccles. l. 1. c. 6. m. 12. §. 2.* addatur quoque Gerhard. *de Ministr. Eccles. §. 108.* Carqz. *in Jurispr. Consist. l. 1. §. 1. def. 4.*  
Weber

Weber de *Constit. c. VII. sect. 1.* qui omnes ex regulis Juris Canonici sua deduxerunt adserta ; nos vero in præsentī quid moribus nostris valeat, paucis declaravimus.

Aph. II. X. Sed quæritur quid statuendū, si quis hæc jura a Principe delegata exercere nolit, & Decani officium suscipere plane recuset, an ad hoc munus subeundum cogi possit ? Et non dubito, quin, uti omnia officia publica invitis deferri, imo etiam manu Prætoria imponi possunt, *L. IX. de vacat. & excusat. mun. L. XXXI. C. eod. l. un. C. si. cur. rel.* Illustris D. Struv. in *Synt. Jur. Civ. Ex. L. 1b. 71.* ita etiam hæc inspectio Ecclesiastica, utpote quæ valde necessaria est, nolenti queat injungi : præsertim si penuria sit idoneorum subiectorum & alicujus dona sint egregia, ac is præ reliquis pietate præfulgeat, Brunnem. *Jur. Eccl. cap. V. n. 13.* Neque nostrum hoc adsertum exemplis destituitur, sed multa ex antiquitate, si instituti nostri ratio pateretur, adduci possent ; interim cum Brun. *c. 1.* notum illud Ambrosii exemplum, qui (ut ejus verbis utar) quasi per inspirationem à populo & Clero in Episcopum, ipso tamen quantum potuerat reluctante eligebatur, lectori in mentem revocabimus. Quod si vero justas & prægnantes quis causas habeat, quibus commotus delatum hunc honorem detrectet, audiendus omnino erit, sicuti alias ad civile munus vocato a nominatione appellare permissum est per *L. IV. C. de appellat. & L. 1. quor. appell.*

Aph. IX. Alterum membrum Juris Episcopalis est LEX DIOECESANA, quam paucis quoque ad nostræ disputationis objectum adplicate lubet. Dicitur autem *Diæcesis* a græca voce *dionéio separatim habito, dirigo* ; unde *dionéiois* proprie *separata directio, administratio*.

*Stratio* solet latine reddi : sic enim Romanorum genti diœcesis *procuracionem* sive *gubernacionem* provincie *cujusdam*, vel *regionum* ejus *quarundam* designabat. Rhenan. *Lib. III. Rer. Germanicar.* Hodie diœcesim vocamus tum districtum ipsum ac regiones istas, per quas Episcopalem auctoritatem & audientiam Episcopus obtinet : tum jus & administrationem ejusdem Episcopalem : ex quo & *Diœcesani* Episcopi vocantur. Hunc quemadmodum secularium Principum proprium est territorium : ita Episcoporum diœcesis : & rursum, sicut territorii jus est administratio provincie *cujusdam* vel regionis certa cum dignitate regali (puta Ducali, vel Marchionis, Comitum, Baronis,) & jurisdictione politica omnigena Andr. Knicht. *de sublimi territor. jure c. 1. n. 222. seqq. & c. II. ac III. per tot.* ita diœcesis est administratio ecclesiarum, causarumque & rerum ad eadem pertinentium per provincie *cujusdam* dignitate Episcopali & jurisdictione ecclesiastica. Ioach. Stephan. *de Jurisd. Eccles. L. IV. c. 6. n. 42.* Gebhard. *cit. §. XV.* Variæ autem Legis Diœcesanæ a Canonistis statuuntur species, quarum nos potiores, & quæ ad scopum facere videbuntur, huc adducemus.

Aph. X. Consistit ergo *Lex Diœcesana* primum in subiectione & reverentia, quam in illa diœcesi tam laici quam clerici Episcopo, vel, ut ad institutum nostrum adplicemus, Decano præstare debent *arg. C. conquerente XVI. X. de offic. judic. ordin. C. quod super. IX. de Majoritat. & Obed.* Officio tamen suo & auctoritate moderate utatur Decanus, ne illis in rebus exigat obedientiam, quæ legibus sunt prohibita. Nec enim tali casu obligantur subie-

subiecti, nec reverentiam illi denegasse censentur, quoniam non semper malum est, non obedire præcepto, in primis si ea jubeat dominus, que sunt contraria Deo, ut ait Augustinus. Nec quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam &, ut paucis multa dicamus, contra bonos mores sunt, facere nos posse credendum est, *L. XV. ff. de condit. instit.*

Aph. XI. Deinde ex *Lege Diocesana* Decano competit administratio ac dispositio rerum atque bonorum ecclesiæ *C. II. & III. caus. 10. q. 1. C. Episcopus XXIII. & seq. caus. 12. q. 1. add. L. XIV. & XXII. C. de SS. Eccl.* Unde probe curet, ut certo & justo tempore reditus ecclesiæ colligantur, & hunc in finem curatores seu provisores rerum ecclesiasticarum constituantur, qui quotannis rationes reddant, & bona juste administrata esse, demonstrent. Cum enim quilibet rei alienæ administrator, sive sit necessarius, sive voluntarius, a lege, iudice, vel homine constitutus, rationem suæ villicationis seu gestionis reddere obstrictus sit. *Jodoc. Damhouder. in Patrocin. Pup. Tit. de tutor. & curat. n. 14.* neutiquam hoc onere se eximere possunt curatores ecclesiæ, quin & ad rationes quotannis exhibendas manifesta sanctione Imperatoria & Electorali adstringantur, quam vid. apud *Carpz. Lib. II. Jurispr. Consist. def. 316.* Gaudet quippe ecclesia jure pupillorum, quibus a tutoribus rationes singulis annis reddendæ sunt *L. I. §. 3. ff. de tutel. & rat. distr.* hinc etiam curatores ecclesiæ non modo æquiparantur tutoribus pupillorum, sed & æquali cum illis censentur jure ac conditione *Carpz. cit. loc.* Quem in finem adstringere debet Decanus ecclesiæ præfectos, ut ad exemplum tutoris pupillorum, libros rationum conficiant,

inque illis acceptos & erogatos ecclesiæ reditus fideliter adnotent. Tiber. Decian. L. IV. *Conf. 110. n. 49.* Hieron. Schurff. *Cent. I. Conf. 65. n. 47.* ob rationes, quas vide apud Carpz. *c. l. def. 314.* Sed hic quæritur: quisnam has rationes ecclesiasticas examinare debeat? quandoque enim hoc jus in tantum sibi arrogant Patroni, ut Pastorem & Superintendentem prorsus excludere præsumant, Carpz. *cit. def. 316. n. 103.* Nos receptum novimus, quod Superintendentens seu Decanus illud principaliter perficiat, adhibito tamen Patrono illius Ecclesiæ cujus rationes exhibentur. Licet enim rationes Ecclesiasticorum redituum ad jus Episcopale & non ad jus Patronatus pertineant Gerhard. *de ministr. Eccles. §. CXIV.* Finckelthaus. *de jure Patronat. c. II. n. 25.* & per consequens non Patrono sed Decano rationes reddendæ videantur. Brunn. *de Jur. Eccles. L. II. c. 8. §. 1.* ut proinde Patronum ab earundem exhibitione plane & simpliciter removeat Laur. Ohm. *Tr. de Jure Episcop. Tb. XVII. l. 9.* quia tamen Patroni interest, reditus ecclesiæ salvos conservari *c. XXV. de Jure Patronat.* & si aliquando accidat, ut ad paupertatem redigatur Patronus, is ecclesiæ sumptibus moderate ali debet *d. c. XXV. in fin. x. de jur. Patron.* Paul. de Citadin. *part. VI. art. 4. n. 1. & seqq.* Martin. Mager a Schönberg. *de Advoc. armat. c. X. n. 324.* ac præterea Patronus ecclesiæ, quantum ad externam conservationem præesse debet, & curam gerere, ne bona ecclesiæ dissipentur, atque providere ministris ecclesiæ, ne fame tabescant & ingemiscant. Brunn. *cit. loc. §. 24.* rectissime sibi Decanus Patronum adiungit, atque una cum eo examinationem rationum exhibitarum peragit. Vid. pluribus Weber. *de Jure Patron. §. XXXIX.*

Aph. XII

Aph. XII. Quemadmodū vero Decani Patronum excludere volentes, ita quoq; Patroni graviter errant, si Decanos ab exactione & examinatione rationum remove-  
re tentent: obstat enim Patronis, quod rationes reddi debeant toti ecclesiæ, cujus bona fuere administrata. Ordinat. Eccles. Elect. Saxon. in art. gen. XXXV. pr. Quapropter haud decet Patronum atque magistratum Decanos ab hoc actu reiicere, quia non illi soli ecclesiam constituunt, sed his quoq; & pluribus aliis in nostris terris  
aa constat Carpz. d. L. II. def. 116. in fin. Dn. Stryck. in addit. ad Brunnem. Ius Eccles. d. L. II. c. 8. §. 24. Ceterum moribus nostris liberum est Decano, an velit hoc examen in loco ecclesiæ instituere, an vero Patronum cum Parocho & præfētis ecclesiæ vulgo Altar = Leuten / oder Kirchen = Väter / una cum Parœcianorum senioribus der Gemeinde Ältesten / in ædes Decanatus vocare, ac eis præsentibus rationes examinatas tam suam quam patroni & pastoris subscriptione confirmare: præfertim cum tali modo non parum ecclesiæ sumptibus parcatur. Quinam autem in subscriptione ordo inter Decanum & Patronum observari debeat, ex infra dicendis, ubi de præcedentia Decani agemus, pluribus patebit.

Aph. XIII. Præter hanc examinationē rationum ecclesiasticarū, eo allaborare debet Decanus, ut per omnia commissæ sibi administrationi satisfaciatur, nec quidquam de rebus ecclesiasticis auferri iniuste aut minui patiatur. Quod etiam fieri potest per alienationem illarum rerum quæ Deo rite consecratæ & ad ejus ministerium destinatæ sunt. Hæc enim alienatio uti Jure Civili & Canonico maxime est prohibita; §. VIII. I. de R. D. L. VI. pr.

*L. XXXIV. §. 1. de contr. emt. c. V. x. de de reb. eccles. alien. vel non c. XX. eod. c. XXI. caus. 12. q. 2. eod.* Ita a Decano neutiquam est permittenda, si censuram evitare velit superiorum & pœnam huic alienationi destinatam. *arg. L. XIV. §. 3. & 4. C. de SS. Eccles.* Neque ratio hujus prohibitionis obscura esse potest, sed facile cuivis recte sentienti occurret. Notum enim est, quod res tales juris omnino sint divini §. VII. & II. X. I. de R. D. & inde propter reverentiam Numinis non habeantur in commercio aut ullius in bonis, neque actu, neque potentia, i. e. nec juris nec possessionis ratione, cum iisdem modis, quibus regulariter res nullius e. g. feræ bestię, volucres, &c. alicujus dominio subiiciuntur, adquiri nequeant. D. Bechmann. *in diff. de Privileg. honor. eccles. C. II. §. 1.* Quod enim semel Deo dicatum est, ulterius ad usus humanos non est transferendum *c. LI. de R. I. in 6to.* Quamvis autem negari nequeat, interdum ob urgentes necessitates & rationes prægnantes, quas passim apud Doctores videre licet, Reinking. *de Reg. Sec. & Eccles. Lib. II. clas. 3. cap. 3. n. 3.* D. Arum. *Lib. II. decis. 5. n. 6. seqq.* alienationem talium rerum Ecclesię concedi solere; non tamén facultas ea data censetur Decano, quam solus sibi Princeps Episcopus reservare voluit, Vid. Carpz. *Jurispr. Conf. Lib. II. def. 303.*

Aph. XIV. Causas illas alienationis quod attinet, reduci hæ solent ad tria membra, quorum unum est Ecclesię utilitas *L. Jubemus in f. & Auth. Hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. cap. VII. X. de bis, quæ sunt a prelat.* alterum evidens necessitas *cap. I. de reb. eccles. non alien. in 6. & c. ult. eod.* tertium pietas *L. XIV. C. de SS. Eccles.* hisce enim in casibus concessum est ecclesię fundos, prædia, tam urbana,

na,



na, quam rustica, annonas, sportulas, pensiones, & in uniuersum omne illud, quod in patrimonio ecclesiæ esse dicitur alienare & in alios bona fide transferre, quod etiam huc usque in nostris terris ita receptum esse quotidiana testatur experientia. Quo in loco norandum, quod si forte usus, ad quem bona ecclesiastica sunt destinata, impius vel superstitiosus deprehendatur, ista superstitione remota in alium usum pium conuersi queant, prout disponit sanctio pacis religiosæ *de anno MDLV. §. Vlt. auch XXI. Zepper. de Polit. Eccles. L. II. c. 26. §. Collat. leg. Mosaic. l. IV. c. 19. Frid. Hortleder. Tom. I. de bello German. l. 5. §. 7. per tot. Add. Ziegler ad Lancellos. Lib. II. tit. 23. §. 1. verb. ad profanos usus.* modo tamen in omnibus hisce casibus obseruentur solennitates iure præscriptæ & requisitæ, *Carpz. de l. def. 201. 202. 203.*

Aph. XV. Quoniam uero alienationis nomine non pleni solum & directi, sed etiam utilis domini translatio, quæ fit per infeudationem, comprehenditur; quænam hujus ratione facultas Decanis sit concessa, paucis uidebimus. Vbi quidem distinguendum putamus, inter res nondum infeudatas, & inter res jam ab antiquo infeudari solitas. Illas quod attinet, sine dubio Decano nulla competit potestas sua auctoritate constituendi feudum in quavis re, licet minima, ad Ecclesiam pertinente, cum hæc potestas reservata sit soli Episcopo, qui ipse tamen causæ cognitione præcedente iustaque id exigente ratione, adhibito consensu eorum, quorum interest, feudum novum ita constituit *Dn. Struv. Synt. Iur. Feud. cap. V. aph. 9.* Has autem si consideremus, si scilicet res ecclesiasticæ jam antea in feudum concessæ, per mortem uasalli reuersæ fuerint, ad Ecclesiam, nihil impedit, quo minus

nus Decanus illas denuo alteri cuidam concedere possit, cum talis reinfeudatio non sit alienatio nova, sed potius antiquæ alienationis continuatio, nec ullum inde detrimentum ecclesiæ inferatur. Et quamvis revolutione ad ecclesiæ feudi naturam exuisse videantur, quia tamen res sunt antiquitus infeudari solitæ, absque solennitate aliqua Decanus easdem in feudum interum concedere, atque sic alienare potest. Vid. Gail. *Lib. II. Obs. 161.* Rosenthal. *de Feud. cap. IV. concl. 21. § 30. n. 10.* Eyben. *in Elect. Feud. cap. X. §. 3.* Illustr. Rhetius. *Comment. ad Ius Feud. lib. 1. tit. 1. n. 1. seq.* D. n. Stryck. *Exam. jur. Feud. cap. V. qv. 4.* Quod ipsum tamen hanc recipit limitationem, si majorem ecclesiæ utilitatem præbere possit ista res retenta, magisq; expediat eandem denuo in feudum non dari. Bocer. *de Invest. Feud. cap. III. n. 55.* aut aliud ab initio expresse fuerit cautum: hisce enim casibus Decanus id Consistorio significare, ac peculiare mandatum expectare debet. Idem dicendum de subinfeudatione, usufructu & emphyteusi constituenda & concedenda. Præsertim si damnum ex rei conservatione ecclesia patiatur, vel evidens ex subinfeudatione aut collatione proveniens utilitas negari nequeat: quavis etiam diversas locorum consuetudines ac jura attendenda esse moneat Dn. Struv. *Synt. Feud. cap. V. aph. 9. n. 3.* quandoquidem his quoque casibus solennitates quasdam requiri, tradit Gail. *dict. loc.* Christin. *Vol. VI. dec. 8. n. 20.*

Aph. XVI. Canonistæ porro legi DIOECESIANÆ domuum religiosarum inspectionem atque curam adnumerant, ut patet ex *tor. tit. de Relig. dom.* Per domus autem religiosas intelligimus non tantum ho-

spi-

spitalia, aliaque ad egentium & miserabilium personarum utilitatem exstructa ædificia, quæ in L. XIX. & XXII. C. de SS. Eccles. it. c. v. de Relig. dom. vocantur *Xenodochia*, *Nosocomia*, *Orphanotrophia*, *Ptochotrophia*, *gerontocomia*, *Brevotrophia* &c. sed etiam scholas & domus, quæ usibus & habitationi ministrorum ecclesiæ, pædagogorum & similibus, ecclesiæ sumptibus aut liberalitate piorum hominum sunt exstructæ. Fundamenta hujus inspectionis est favor harum domuum. Hospitalia enim quod attinet, notum est, quod gaudeant privilegiis ecclesiarum. Felin. in cap. de quarta col. penult. & seq. X. de prescript. Balbus de prescript. l. part. quint. part. pr. qu. 1. n. 7. Matth. de Afflict. Dec. LXVII. n. 4. ita, ut a rebus ecclesiæ non iniuste ad hospitalia argumentari liceat. Castrensi. L. l. Conf. 269. n. 1. Tiraq. de privil. pie caus. prin. 137. & 138. Carpz. lpr. Conf. L. l. def. 92. ubi latius. Hinc sequitur, quod sicuti ecclesiarum cura Episcopo incumbit; eodem modo inspectio atque provisio hospitalium ad eum pertineat. Imo juribus Episcopalibus accenseri hospitalia, clarissime patet ex c. aqua lX. X. de consecrat. Eccles. c. inter dilectos lIX. X. de donat. De Scholis, quin idem dicendum sit, demonstrat Carpz. lpr. Conf. l. l. def. 6. Nec immerito: *Propagatio enim, dicit ex Cothmann. vera religionis & defensio ecclesie in eo consistit, ut seminaria doctrine celestis, linguarum & artium bonarum, seu schole ecclesie adjunctæ sint atque vigeant.* Propterea etiam Sereniss. Saxo Ordinatione Ecclesiastica curam atque conservationem scholarum comprehensam voluit, uti patet ex Carpzov. c. l. Add. Jussu. Weimar. Kirchen Ordnung. Lib. II. c. 20. tit. 14. Decanus igitur Jura Episcopalia exercens hac in parte probe fungi debet officio suo a Principe

G

sibi

sibi demandato. Et quod speciatim hospitalia concernit, inspectio ejus versari debet tam circa sacra, quam profana. Sicuti enim hæc domus pietatis instinctu sunt constructæ, ut pauperes & profectæ ætatis homines divino inibi vacare cultui possint: ita Decanus secundum cujuslibet loci consuetudinem fundatorum intentionem promoveri maxime laboret: adeoque, si quæ sint hospitalia altare & cæmeterium ab antiquo habentia, itemque, si quæ pastores suos alant peculiare, qui cultum divinum celebrarent, ac sacramenta fideliter administrarent, hanc consuetudinem antiquam sine superstitione curet observari; Vid. Ziegler. *ad Lancell. d. lib. II. tit. 23. §. 6.* Præterea in mores & disciplinam eorum, qui in locis istis commorantur sedulo inquireat, ne, quod pietatis causa impenditur, petulantia aliisque factis probrosis ansam præbeat. Nec non una cum ecclesiæ Patrono Hospitalarium, sive quæstorem (einen Hospital-Verwalter) constituat, eumque ad cautionis præstationem obstringat, juxta ea, quæ tradit Carpzov. *Ipr. Consist. L. I. def. 92.*

Aph. XVII. Scholas quod porro attinet, Decanus eas sibi maxime commendatas habeat, moresque & disciplinam tam docentium, quam discipulorum sedulo examinet, ne, quæ seminaria virtutis & honestatis esse debebant, efficiantur vitiorum atque improbitatis officinæ. Neque hæc inspectio ad scholas tantum triviales, aut ordinarias, in quibus informari juvenus publice solet, dirigenda, sed cautum præterea, ut & in alios præceptores, qui privatam pueris instituendis operam navant (vulgo Winkel = Schulmeister) inspectio habeatur, per ea, quæ docet Ziegler *ad Lancellot. Instit. Jur. Can. L. II. t. 23. §. 2.* Plura de inspectione scholarum & sa-

& salariorum præceptoribus destinatorum citissima exsolu-  
tione vid. apud Brunn. *de jure Eccles. L. I. c. 6. m. 12. §. 14.*  
*seqq. & ibidem D. Stryck. in addit.*

Aph. XII. Ceterum ad curam domuum reli-  
giosarum pertinet etiam illarū constructio & reparatio.  
Quamvis autem nova ædificii ecclesiastici constructio nõ  
nisi Principis auctoritate fieri soleat: *c. IX. de consec. dist. 1.*  
Decanus tamẽ Consistorii mandatũ hac de re latum exse-  
qui, & adhibito Patrono, cum operariis contrahere, sum-  
tusque partim ex ecclesiæ redditibus, partim ex percæcia-  
norum contributione colligere debet, prout patet ex  
his, quæ habet Carpz. *Jpr. Consist. L. II. def. 350.* Reparati-  
ones vero istorum locorum haud requisito speciatim,  
Consistorii consensu Decanum concedere posse puta-  
mus, quoniam longe aliud est reficere & reparare, ali-  
ud ampliare & de novo facere. Peck. *de Eccles. repa-  
rand. cap. II. n. 1. & 2.* uec reficiens dicitur quid inno-  
vare. Lancell. *de attent. part. I. c. 4. limit. 1. n. 39.* Restau-  
ratis tamen semel ædificiis, quilibet inhabitatorum illud  
propriis sumtibus sartum tectumque & in bono statu  
(in Dach und Fach) conservare cogitur: Carpzov. *d. l.*  
*def. 352.* Finckelthaus. *de jure Patron. c. IV. n. 85. & 92.* ve-  
luti sancitum in *Ordin. Eccles. Elector. art. gen. XXXII. §.*  
**Wann sic.**

Aph. XIX. Huc quoque pertinet cura sepulcro-  
rum & cœmiteriorum, de quibus cum satis prolixè dis-  
serat Carpz. *Jpr. Consist. L. II. def. 389. & seq.* nos hic actum  
agere nolumus, præsertim cum eorum, quæ ibi tradun-  
tur applicatio ad Decanos facile fieri queat: agit quo-  
que latius de sepulturis illustris D. Struvius *Syntag. Jur.*  
*Civ. Ex. XV. tb. 80. seqq. it.* Brunn. *in sepius cit. Tr. de Jur.*  
*Eccles. L. I. c. 6. m. 12. §. 20. et. L. II. c. 2. in fin.* & Dn. Stryck.  
ad *h. l.*

ad b. l. add. Ziegler. d. l. t. 24. §. 1. August. Barbof. L. II.  
Jur. Ecclef. univ. c. 10. per tot.

Aph. XX. Denique ex LEGE DIOECESANA  
Decano visitationes ecclesiarum sibi subiectarum com-  
petunt. arg. c. IX. cauff. 10. q. 1. quæ quidem in visitatio-  
ne a Samuele summo Israelitarum principe quotannis  
facta I. Sam. VII. v. 16. nec non iis, quæ fieri curarunt Io-  
saphat II. Chron. XIX. & Ezechias *ibid.* c. XXX. v. 6. funda-  
mentum & originem habere videntur, prout hæc alia-  
que plura exempla allegant Anton. Faber. *de Relig. Reg.*  
L. II. c. 4. & Brunn. c. L. I. c. 6. m. 12. §. 8. præterea tamen  
ratione quoque evidenti & clara nituntur. Cum e-  
nim munus Episcopi sit, salutem ecclesiæ omnibus,  
quantum licet, modis promovere, & vero hæc inprimis  
in eo consistat, ut tum pastores, tum auditores com-  
missi sibi officio rite fungantur, ac vitam per omnia de-  
centem puramque servant; vi hujus muneris Decanus  
quotannis semel, aut secundum quorundam locorum  
statura, duabus vicibus per totam diœcesin visitationem  
instituere, atq; in mores & disciplinam tam docentium  
quam discipulorum inquirere quam diligentissime tene-  
tur. Consistit autem visitatio hæc ecclesiastica præci-  
pue in scrutinio morum ac eruditionis Pastorum, nec  
non inquisitione, an bene officium suum administrent;  
deinde in examine fidei & vitæ, quæ inter ipsos repe-  
ritur auditores: denique in fideli admonitione, ut  
omnia pie atque juste, & ut fidum pastorem, nec non  
obedientes oves decet, peragantur. Vid D. Ahasv. Fritsch.  
*ad Ant. Fabrum. d. Relig. reg. lib. II. c. 4.* ut & in *Tract.*  
*de Visitat. Eccles.* ubi diversas diversarum ecclesiarum &  
visitationum ordinationes exhibet. Add. *Ordinat. Ec-*  
*clesiast. Sereniss. Ducum Saxe-Vimar.* in qua certa interro-  
gatoria,

gatoria, juxta quæ Visitatores scrutinium instituere debent, præscribuntur: quod & fecit Heinr. Eckard. in *tract. sub. Tit. Formul und Proceß einer Kirchen Visitation*, Confer. Io. Sithmann. *Idea jur. Episcop. modern. c. XII. n. 14.* August. Barbof. *L. I. jur. Eccles. univ. c. 14.* ubi prolixè de visitatione Pontif. Episcop. Ioan. Franc. de Panvin. & Marian. Socin. *de Visitatione*. Petrus Paulus Salod. in *visitatorum Praxi*. Thom. a Iesu Maria *de Visitatione regularium &c.*

Aph. XXI. Cujus vero sumptibus visitatio hæc Ecclesiarum a Decano peragenda sit, operæ pretium erit dispicere. Definitum id quidem jure canonico, tum ratione subiecti, & statutum quod ipsi visitati censum visitationis, qui *procuratio* dicitur, solvere debeant, *c. XVI. de offic. ordin.* tum ratione quantitatis, ne sc. amplius ab eis requiratur, nisi quantum (pensatis facultatibus) moderate poterunt exhibere, *d. c. XVI.* Vnde Concil. Lateranense relatum in *c. VI. d. censib. ex-act.* & *procur.* constituit, ut Archi-Episcopi parœcias visitantes pro diversitate provinciarum & facultatum Ecclesiarum 40. vel 50. electionum numerum, Episcopi autem 20. vel 30. Cardinales 25. nunquam excedant, Archi-Diaconi vero 5. vel 7. *Decani constituti sub Episcopis duobus equis contenti existant*: nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste ac competenter illis fuerit ministratum: quin imo procuracionem præcise in victualibus esse faciendam, sub pœna dupli, ab illo, qui aliud quid recipit, solvendi, statuit Gregorius X. in *C. II. de Censibus in VI.* Veruntamen si consuetudine introductum sit, ut præter victum visitatori pro cujusvis parochiæ visitatione ducatus solvatur, pro lege id servandum esse ex dispositione Concilii Tridentini probat D. Stryck, in *Ad-*  
dit.

*dit. ad Brunnem. Jus Eccles. lib. 11. c. 9. §. 14. modo Ecclesie  
reditus ad censum hunc sufficient : quod si enim Eccle-  
sia ob paupertatem hos sumtus ferre nequeat, pie factu-  
rum Patronum, si ipse eos suppediret, quamvis ad id jure  
ordinario cogi non possit, tradit Id. c. 1. quo & pertinet  
pium monitum, D. Brunnem : in Jur. Eccles. cit. c. 9. §.  
14. quando scribit : Cum summa sit Ecclesiarum nostrarum  
paupertas, recte facerent Episcopi & Superintenden-  
tes visitantes Ecclesias, si exemplo Paulo suo victu id præ-  
starent. Dubito enim an Inspector coram Tribunali Sal-  
vatoris aliquando se excusare possit, cur non visitari Ec-  
clesias subiectas, quia procuratio ab Ecclesiis præstari non  
poterat. &c. Quid autem, si suæ civitatis vel pagi Ec-  
clesiam visitet Decanus, num & tunc procuracionem  
ab illa petere poterit ? videtur id adferere Jus Canon.  
in cap. XXIV. de censib. exact. & procur. Surd. de aliment.  
Tit. IV. qv. 22. Azor. Inst. moral. P. II. lib. 3. c. 42. qu. 4.  
Sed immutatum per Concilium Tridentinum : nec e-  
nim opus est procuracione, si proprio victu expedire vi-  
sitationem, & ea facta, domum se recipere potest visita-  
tor D. Stryck, in Add. ad Brun. d. 1. §. 13. Tandem & hoc  
notandum, quod citissime peragere visitacionem De-  
canus debeat, ne Ecclesiam multis sumtibus gravet,  
adeoque caveat, ne tempus visitacioni destinatum aliis  
expeditionibus eo non pertinentibus consumat. Barbof.  
de potest. Episcop. P. III. alleg. 37. n. 40.*

Aph. XXII. Ad iura denique Episcopalia refer-  
tur **IURISDICTIO ECCLESIASTICA**, quam  
Audientiam vocat Imperator, quæ competit Episcopo  
in Clericos, ita, ut eius vigore eorum personales acti-  
ones tractare : laicorum vero tantum spirituales audire  
causas & per sententiam decidere possit *L. XXV. C.  
de Episc.*



*de Episc. & Cler. can. XLV. caus. II. qu. 1. Carpz. Jpr. Consist. L. III. def. 2. n. 13.* Addunt huic Canonistæ etiam excommunicationem & absolutionem a Banno, potestatem relaxandi iuramenta, dispensationem in gradibus prohibitis & plura alia, quæ passim videri possunt, & præcipue apud Weber. *de Consist. c. VII. f. 3.* quæ tamen partim exolvere, partim ad Consistoria sunt devoluta, per quæ hodie exercet princeps ad iurisdictionem pertinentia: ita, ut invidiosum sit affirmare, Superintendentem (aut Decanum) habere iurisdictionem, prout dicit Brunnem. *de iur. Eccl. L. III. c. 1. §. 34.* Interim Decanus habet *forum penitentiale*, tradente eod. Brun. *c. 1.* ita, ut possit de actionibus & denunciatione parochianorum ex verbo divino cognoscere. Et ne Consistoria perpetuis fatigentur litibus, concessum est Decanis ius & potestas amicabilis compositionis, qua partes litigantes ad se vocare, & ad pacem atque concordiam adhortari possint: quod si vero eosdem conciliare nequeant, Generali Superintendenti id denunciare, aut totam causam Consistorii decisioni submittere tenentur: nec enim præter notionem istam simplicem iurisdictione quædam Decanis tribuitur moribus nostris. vid. Carpz. *Jpr. Consist. Lib. III. def. 4. n. 13. seqq.* Eo minus igitur usurpatio hujus iurisdictionis Ecclesiasticæ Patronis Ecclesiarum concedi debet a Decanis, quamvis reperiantur tales, qui eandem ad se rapere, & Patronatus jus cum Episcopali confundere præsumant, qua de re Brunnem. *Jur. Eccles. lib. II. c. 8. §. ult.* nec eos præscriptio etiam immemorialis tueri valet, cum bone fides desit, & sic principium præscriptionis infectum, Brun. *cit. loc.* Adiunctionem autem Patroni aut Collatoris ad componendas lites inter officiales Principis aut alios subditos & Pastorem quandam su-

dam subortis permittit imo iniungit Potentissimus Sax.  
Electo*r in Ordin. Eccles. tit. Von Immunität und Frey-*  
heit der Kirchen Diener, Vid. Carpz. *d. def. 4. n. 11.*

Aph. XXIII. Recensitis hisce tribus Juris Episco-  
palis membris, quartum addunt recentiores mem-  
brum: STATUM sc. seu DIGNITATEM EPISCO-  
PALEM, quæ consistit in jure usurpandi titulos illustres,  
fruendi privilegiis & immunitatibus, habere præro-  
gativam præ Laicis, & si quæ sunt similia. Verum quo-  
niam hæc jura membrum novum haud constituunt, sed  
tribus jam prioribus inhærent, uti Excell. Dn. Stryckius  
prolixius demonstrat *ad Brunn. jus Eccles. sæpe cit. L. I. c. 6.  
m. 12. §. 5.* præterea privilegia pleraque adlata cum Cle-  
ricorum immunitatibus fere conveniunt, ac postremo  
ista, quæ de Pontificiæ ecclesiæ Episcopis referuntur, ad  
Decanos nostros adplicari nequeunt, consulto illa præ-  
termittimus, & unicum saltem punctum de præceden-  
tia Decani præ Patrono huc adducemus. *An nimirum  
Patrono in confessibus præ Decano potior locus concedi debe-  
at?* Peperit certe hæc controversia multas lites, & dis-  
cordiis sæpiusculè viam latissime aperuit; Multoties  
enim accidisse novimus, ut senatus oppidanus, nec non  
Præfecti hanc sibi arrogare præcedentiam attentave-  
rint; nec imerito, uti quidem videbatur. Nam ho-  
nor Patroni post alia consistit in processione, *c. XXV. &  
XXVI. X. de Jure Patron.* vi cujus Clerus tenetur pro-  
cessionaliter, uti loquuntur, Patrono obviam venire,  
non quidem usque ad portas oppidi, sed tantum ad  
ambitum Ecclesiæ, eo quidem in casu, quando Patro-  
nus raro ad illum locum venit, non si sæpe, uti habet  
D. Stryck *ad Brunnem. Jus Eccles. L. II. c. 8. §. 25.* cum An-  
de Butrio *de jura patron. c. XXV. n. 21.* ex quo deduci pos-  
se vis

se videtur Patroni præ Clero præ eminentia, quamvis alii per ipsam processionem primum ac eximium locum, & quasi præcessionem, si barbare loqui licet, intelligant, quæ a Clericis Ecclesiæ patronatæ Patrono relinqui debet, veluti ex Paul. de Citadin. *de Jur. Patron. p. VI. q. 1.* & Mantic. *dec. CCXLIV. n. 1.* refert Dn. Stryck. *ad Brunnem. cit. loc.* Deinde ex eo quoque primum locum vindicare sibi tentant Patroni, quod communiter dicitur a Dd. Patronum tanquam parentem censerī ecclesiæ, & eandem illi deberi reverentiam, quæ patri a filio. Lambertin. *de Jur. Patron. qu. 1. art. 1. n. 14.* Nec minus pro iis militare videtur, quod precibus publicis ecclesiæ Patroni specialiter includi debeant, docente Carpz. *Lib. II. Jurispr. Conf. d. 259.* Præcipuum autem ex eo desumunt argumentum, quod præsentationem Decani ipse peragat Patronus, & sic major utique seu superior illo censendus sit, cum eum, qui alterum constituit, superiorem esse constituto Moralistæ adleverent. Ut taceam, jure divino & civili nullam prærogativam adsignatam esse Clericis præ Laicis, ut inde pro lubitu a magistratu politico ordinari possint.

Aph. XXIV. Sed hæc tanta non sunt, ut priorem Senatui, aut præfecto jus patronatus habentibus locum præ Decano tribuere queant. In omnibus enim jam, ad latis rationibus pastoratum cum Decanatu confundi videmus. De processione quippe notandum, quod illa non a Decano debeat Patrono, sed a Pastore saltem ecclesiæ primario: licet autem vel maxime ita in terris nostris ordinatum sit, ut pastoris & Decani officia semper jungantur, nihil tamen præjudicabit hæc processio Decano, qui non tanquam Decanus, sed tanquam Pastor honoris hoc exhibet officium. Ad hæc in no-

H

stris

fr̄is ecclesiis ista procedendi consuetudo plane obsole-  
vit, ut nihil jam ex illa argui possit. Eodem modo secun-  
dum refellitur argum. & sola distinctione inter pasto-  
rem qua ralem & Decanum solvitur. Neque etiam ad rem  
facit, quod publicis includi precibus soleant Patroni,  
cum nullus prioritatis actus exinde inferri possit. Quam-  
vis enim hæc solennitas introducta sit in memoriam  
concessæ quodam ecclesiæ dotis, ac proinde dotans  
quasi pater ecclesiæ Deo publice commendari debeat,  
propterea tamen non sequitur, prærogativam quandam  
præ Decano adquisitam esse Patrono, nisi simul conce-  
dere velimus, singulos cives ac paræcianos præfere-  
dos esse suis Superintendentibus ac Decanis, eo, quod  
communis eorum salus publice Deo commendatur.  
Præterea plurimis in locis Patronus magistratus in si-  
mul officium gerit, pro quibus orandum esse, ipse Paulus  
docet. Quod autem præsentationem Decani attinet, cu-  
ratius rem pensitanti apparebit, quod minime Patronus  
hac sibi prioritatem possit acquirere. Licet enim Patro-  
nus aut officialis Principis pastorem præsentando Decanum  
ob connexitatem simul præsentasse videatur, re ipsa ta-  
men nihil tale egit, cum in aprico sit, quo in nostris  
Ecclesiis potestas vocandi Decanum, non sit penes pa-  
tronum, sed soli Principi attribuat, D. Ahalv. Fritsch.  
*At Ant. Fabr. de relig. reg. L. III. c. 11. in not. p. 560. adeo*  
*ut is hoc jus nequidem per modum privilegii civitati*  
*sibi subiectæ, aut subdito possit concedere. Sirkmann. in*  
*Idea jur. Episcop. modern. c. XI. n. 113. Descendit quippe*  
*Superintendentis aut Decani constitutio a superioritate*  
*territoriali, quam hac ratione abdicaret Princeps, quod*  
*absurdum. Id. c. 1. n. 110. Cautum ergo esse oportet Pa-*  
*tronum, ne Decani munus cum pastoris primarii officio*

con-

confundat : nam Decanus tanquam Episcopus eligitur, quod officium non præcise pastori, sed, & Diacono, vel alii cuidam, ob meliores qualitates, quas possidet, conferri potest. Brunn. c. 7. §. 21. conf. Carpz. L. 1. pr. *Consist. def. 10.* Hinc quia Decanus præter Principem nullum agnoscit Patronum, optime concludere licet, Decanum prærogativam ecclesiæ Patrono minime concedere posse. Sic enim D. Stryckius ad Brunn. *Jus Eccles. L. 11. c. 8. §. 25.* ex eadem hac ratione præcedentiam Superintendentis aut Inspectoris præ Senatu oppidano defendit, quando eleganter scribit : *Ex quo apparet, Inspectori vel Superintendenti potiorem locum præ Senatu competere ; utut enim qua pastor Patronum agnoscere debeat Senatum, qua Superintendens tamen a solo Principe dependet, cum jus vocandi Superintendentem Senatus non habeat. Et porro : cum magistratibus civitatum sola Pastoris vocatio relicta, Inspectoris vero constitutio ipsi Electori serenissimo tanquam Episcopo adserta ; non videtur amplius præcedentia magistratui concedenda, cum in eo cessante jure patronatus quoad Inspectoratum, utpote ; quod jure Canonico honorem processionis conjunctum habet, cesset etiam jus præcedentiae. quæ omnia commode ad Decanum adplicari possunt. Et si vel maxime ( quod tamen non conceditur ) jus præsentandi Decanum Patrono relictum esset, id ipsum tamen per se eundem Decano minime efficeret superiorem, cum Moralistarum illud adsertum : *constituens est constituto superior*, verum duntaxat sit in ea constitutione, cujus effectus perpetuo pendet a voluntate constituentis, non etiam in ea, quæ ab initio est voluntatis, postea vero effectum habet necessitatis : quomodo mulier sibi virum constituit, cui parere semper necessum habet. Grot. de l. B. c.*

P. L. I. c. 3. §. 8. n. 13. Ita Valentinianus Imperator militibus, a quibus Imperator electus erat, postulanti- bus, quod ipsi non probabatur, respondit: *Ve me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites: at postquam me elegistis, quod petistis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi, quae facienda sunt, cogitare.* Sozom. Hist. Eccles. L. XVI. Theodoretus L. IV. c. 5. Præterea, notum est, constitutionem triplici peragi posse modo. Aut enim quem constituo supra me, uti subditi sibi eligunt Imperatorem: aut juxta me, uti collegium sibi novum collegam adsociat: aut denique aliquem constituo infra me, uti dominus servum obediendi lege conducens. Ex quibus apparet, ex sola constitutione prærogativam per se non fluere: præsertim cum per nudam præsentationem seu denominationem Decanus haudquaquam constituatur, sed quantus quantus est, a confirmatione & vocatione Principis dependeat. Quod autem ultimo adducebatur: de jure civili & divino nullum clericis certum locum adsignatum esse, adeoque pro lubitu eorum præcedentiam ordinari posse, id quidem procederet, si nullus plane ordo per leges provinciae inter subditos foret constitutus, sic enim Princeps ex liberrima voluntate Patronis postponere valeret Superintendentes seu Decanos: quoniam vero per has Decanis præ Patrono, & Jure Canonico toti Clericorum ordini potior præ laicis locus est tributus *c. X. dist. XCVI. c. VI. de majoris, & obedient.* non immerito in ea, qua positi sunt, dignitate, quieti sunt relinquendi. Interim tamen, negari nequit, totam hanc de præcedentia Decani controversiam regulari a possessione & consuetudine, adeo, ut circa eandem observantia & usus quam maxime attendi debeant,

debeant, licet dispositione juris communis forsan statua-  
tur contrarium. *Hinc Inspector*, aut Decanus, illum lo-  
cum tenere debet, quem antecessor ipsius sine controver-  
sia habuit, prout rectissime concludit laudatus ante  
D. Stryck. *ad Brunn. citat. loc.* quemadmodum & Prin-  
cipem pro diversitate casuum, vi juris territorialis hunc  
ordinem mutare posse, nemo facile audebit in dubi-  
um vocare.

Aph. XXV. Ultimo loco quæstionem movere lu-  
bet: *An Decanus a Laico v. g. Præside Consistorii, aut,*  
*quem Princeps delegavit, possit investiri?* Equidem,  
si juris Canonici placita hac in re consulere velimus,  
dicendum foret, neminem qui non sit persona ecclesi-  
astica Investituram hanc peragere posse, quoniam sc.  
est introductio in possessionem beneficii ecclesiastici,  
Carpz. *Ipr. Consist. Lib. 1. def. 54. n. 1.* De natura autem  
beneficii ecclesiastici est, ut a persona ecclesiastica  
conferatur. *cap. III. de instit. nec ab alio fieri debeat,*  
*s. VII. de offic. Archid. c. IX. eod. & c. V. de institut.* adeo,  
ut nequidem eam facultatem laicus præscriptione ad-  
quire possit, Engel. *p. II. manual. paroch. c. 1. §. 3.* imo  
clericus, qui a laico investituram accipit, excommu-  
nicationis pœna afficiatur. *can. XII. seqq. caus. XVI. qu. 7.*  
Ego posthabitis Juris Pontificii decretis distinguendum  
puto, an adsit Superintendens quidam Generalis, aut alia  
quædam habilis persona ecclesiastica, qui actum hunc in-  
vestituræ rite peragere queat: an non adsit. Priori casu  
omnino huic erit demandanda investitura, quandoqui-  
dem ea muneris Episcopalis pars est, Ohem. *de Jure E-*  
*piscopal. concl. 16.* & melius utique Theologus novit, quæ  
ad pastorale requiruntur munus, ita, ut prout moris  
est, salutaria monita & investiendo & plebi inculcare  
valeat.

valeat. Brunnem. *Jur. Eccles. Lib. I. cap. 5. §. 27.* Posteriori vero casu nihil impedit, quo minus e iam Laicus hunc actum licite expedire queat, cum investitura hæc & introductio de substantia ministerii sacri non sit, *can. l. dist. XXIII. Gerhard. de Minist. Eccles. n. 170.* adeoque plane omitti possit, & præterea Delegatus potestatem investiendi a supremo accipiat Episcopo, atque ita eisdem fungatur vicibus: quamvis hunc morem, ut nempe Investitura talis a Politico peragatur, taxet, & abrogandum esse suadeat Mevius. *Part. III. doc. 134. cum Brunnemanno cit. §. 27.* Atque sic præcipua Decanorum jura sunt tradita. Qua propter hic subsisto, & summas Deo immortalis gratias ago pro concessis hucusque viribus, ac tandem ejus me clementiæ meaque studia humillime commendo.

TANTUM.









Jene, Diss., 1692 (S/2)

ULB Halle

3

002 429 918




SC

V017







B.I.G.

Farbkarte #13

1692, 28

F. Q. S.

DE

# ANIS

18

Bon

anten/

TIO IVRIDICA

JAM

A SALANA

ESIDE

FICO DESIGNATO,

SIMO, & EXCELLENTISSIMO,

O WILDVOGEL

SERENISSIMORUM DUCUM SA-

RIO AULICO, ANTECESSORE IN

RIMO CURIAE PROVINCIA

ET SCABINATUS ADSES-

AVISSIMO

PITE, & PRAECEPTO-

IME COLENDO,

itorum examini

Ctorum majori

ponit

An. CIO DC XCII,

& RESP.

ESTUS von der Säge

NAR.

RECUSA, 1719.

(8

